WAGNER

DE EVENIS POETIS ELEGIACIS
EORVMQVE CARMINIBVS.

DISSERTATIO

QVAM AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE LITERARVM VRATISLAVIENSI

VENIAE DOCENDI

RITE IMPETRANDAE CAVSSA

DIE VII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

FR. GVILELMVS WAGNER

PHILOSOPHIAE DOCTOR ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER

ASSVMTO SOCIO

L. MEINOLPHO MVELLER

SEMINARII PHILOLOGICI SODALI

CONTRA ADVERSARIOS:

IVLIVM NIEPELT, PHIL. CAND.

IVLIVM HAENEL, PHIL. CAND.

THEOPHILVM HARTMANN, SEM. PHIL. SOC.

VRATISLAVIAE

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCIORVM.

VIRO

CLARISSIMO DOCTISSIMO

CAROLO SCHOENBORN

PHIL. DR. AA. LL. M. GYMNASII AD AEDEM S. MARIAE MAGDALENAE
RECTORI ET PROFESSORI

OB EXIMIAM

ERGA SE BENEVOLENTIAM

HVNC

QVALEMCVNQVE LIBELLVM

SACRVM ESSE

VOLVIT

AVCTOR.

I.

EVENORVM VITAE.

Aegre eum, quicunque animum paulisper ad historiam Graecorum literariam attenderit, ab se impetraturum esse reor, quin miretur, quod illud poesis genus, quod et uetustissimum et latissime diffusum fuit, elegiacum dico, omnium maxime uirorum doctorum curas expertum sit. In hac enim parte tametsi temporum inuidia fere non minor fuerit, quam in reliquis graecae antiquitatis partibus, tamen non modo extiterunt, qui de natura atque indole ipsius poesis elegiacae scriberent, sed qui etiam carmina elegiaca, quotquot supersunt, diligentissime colligerent, collecta explicarent et, quoad opus fuit, emendarent, et de uitis poetarum tantum nos docerent, quantum ex ipsis poematis ueterumque testimoniis potuerat erui. Sic praeter trecentos fere poetas, quibus Jacobsius, uir omni doctrina politissimus, in Anthologia Graeca operam nauauit, singuli quidam poetae, qui summam in hoc poesis genere adepti sunt gloriam, uelut Callinus, Archilochus, Solo, Theognis, Simonides, Philetas, Hermesianax, Phanocles, alii, nostris maxime temporibus inuenere uiros doctos, qui de iis optime mererentur. Quorum industria atque diligentia, ut eximia fuerit, tamen haud pauci iique non minus clari, quam quos supra enumerauimus, supersunt poetae, quorum qui colligeret fragmenta enarraretque uitas nullus adhuc fuit. In eorum numero sunt, ut de aliis taceam, Eueni praecipue Eueni Parii, de quibus, si pusillas notitias Fabricii in Bibl. Graec. ed. Harl. T. I. p. 738. et Iacobsii in Anth. Gr. T. XIII. p. 893. exceperis, nihil compertum habebis, quamuis iidem, ut infra docebimus, haud mediocrem gloriam consecuti sint. Operae igitur pretium

me facturum opinatus sum, si, quae de his Euenis ueteres tradiderunt, non minus quam, quae huc illuc dissipata leguntur carmina colligerem, collecta in certum quendam ordinem redigerem adnotationibusque adumbrarem.

2.

Iam uero ex libelli nostri inscriptione conieceris, plures fuisse Euenos, et recte quidem; nam si, quem in eiusmodi quaestionibus primum fere consulere consueuimus, Suidam inspexeris, te non fugerint (s. uoc. *Εὔηνος*) haec uerba: *Δύο ἀναγράφουσι γεγράφθαι ἐλεγείων ποιητὰς καὶ ἀμφοτέρους Παρίους.* Idem iisdem uerbis Photius in lex. s. u. *Εὔηνος* dicit, unde colligi licet, Suidam aut exscripsisse Photium aut utrumque lexicographum ex eodem fonte hausisse. Sed praeter hos Parios in lemmatis carminum Anthologiae Graecae quattuor insuper commemorantur Eueni, Siculus quidam, Ascalonius, Atheniensis, et Grammaticus, quos deinceps in disputationem uocabimus. Redeundum autem ad Suidae uerba, in quibus primum ut superuacanea offendit uox *γεγράφθαι*, quam ex uaria lectione ortam esse uerisimile est, ut scriptum fuerit: *δύο ἀναγεγράφθαι φασὶ ἐ. π.* Id confirmant uerba Harpocrationis, quem fortasse et Photius et Suidas ante oculos habuerunt, hanc uoculam omittentis (s. u. *Εὔηνος*): *Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους· δύο ἀναγράφουσιν Εὐήνους ἐλεγείων ποιητὰς ὁμωνύμους ἀλλήλοις· καθάπερ Ἐρατοσθένης ἐν τῷ περὶ Χρονογραφιῶν, ἀμφοτέρους λέγων Παρίους εἶναι· γνωρίζεσθαι δέ φησι τὸν νεώτερον μόνον. μέμνηται δὲ θατέρου καὶ Πλάτων.* Quaestionem igitur primum de utroque Pario instituemus, ad quam, antequam accedamus, constituendum uidetur, quae sit uera Eueni nominis scriptura. Uti enim Panyasidis (cf. Tzschirn. de Panyas. p. 7. sq.) et innumerabilium fere scriptorum nomina librariorum aut negligentia socordiaque aut inscitia corrupta sunt, ita Eueni nomen nonnunquam reperitur deprauatum. Praecipue uariant codices MSS. editionesque eorum scriptorum, a quibus commemoratus est Euenus, in *Εὔηνος* et *Εὐηνός* scriptura, quam discrepantiam, quoad fieri poterit, tollere conabimur. Huc uero facturum etiam esse puto, scire, quo modo E u e n i f l u u i i nomen a ueteribus scriptum sit: nam fluminis a poetae nomine ut diuersum fuisse sta-

tuamus non habemus iustam caussam *). *Εὐηνός* praebet Thuc. II. 83. improbante Popp. Proleg. Thuc. T. II. p, 160. *Εὔηνος* ex omnium codicum consensu habent: Soph. Trach. 559. ed. Neu. Apollodor. I. 7, 7. 8. (ubi Martis filius ita dictus est) II. 5, 4. 7, 6. Strabo VII. p. 327 (bis). VIII. p. 336. X. p. 451. (ubi tamen nonnulli codices et editiones scribunt *Ευτῆνος* (sic). X. p. 459. XIII. p. 614. ubi Mediceus IV. habet *Εὔοινος*. *Εὔηνος* scripturam confirmant etiam Diodori codices et Vib. Sequest. p. 31. 34. Apud Homerum (Il. II. 693.) eiusque scholiastas (cf. p. 83. p. 267. ed. Bekk.) *Εὐηνός* exaratum est, apud Eustathium uero (ad Iliad. II. 593 et IX. 553 sq.) *Εὔηνος*, quam formam Hesiodus quoque Theog. 345. tueri uidetur. Non minor est scripturarum uarietas in libris eorum scriptorum, qui poetam Euenum commemorant. Etenim in Plat. Phaedr. p. 267. A. Phaedon. p. 60. D. p. 61. C. Arrian. Disput. Epistet. IV. 9. 6. Aristot. Metaph. IV. 5. (ed. Brandis) uulgo legitur *Εὐηνός*, contra in Platon. Apolog. p. 20. B. Aristot. Ethic. Eudem. II. 7. VI. 10. Nicom. VII. 11. Eratosth. ap. Harpocr. l. c., Anthol. Palat., Athen. IX. p. 367. E. X. p. 429. F., Artemidor. Oneir. I. 4. fin., Suid. l. c., extat *Εὔηνος* scriptura. Ceterum etiam in locis Phaedri, Phaedonis et Aristot. Metaph. IV. 5. teste Bekkero optimi codices in *Εὔηνος* lectione consentiunt. Nullius autem auctoritatis est Arriani locus, nam infimae dignitatis sunt huius libri codices, quare *Αδαμάντιος Κοραῆς*, nouissimus Disput. Epictet. editor (Vol. II. p. 429) *Εὐηνός* in *Εὔηνος* mutari iussit, cuius iudicio, cum ipse Graecus sit, aliquantum tribuo. Etymologiam uero, si quis persequi uelit, ut multum confecturus sit uereor, quoniam non satis liquet, quorum ex uerborum connexione illud *Εὔηνος* coaluerit, licet hanc uocem (nescio an ex *εὖ* et *ἡνία* **)) compositam esse constet; magis fortasse proficiat ana-

*) Fortasse qui primus Eueni nomen tulit vir, id a fluuio ob certam aliquam caussam duxit. — Eustath. ad Hom. Il. II. 693. *Ἰστέον δὲ ὅτι τοὺς εἰρημένους, τὸν Μύνητα καὶ τὸν Ἐπίστροφον, υἱέας λέγει Εὐήνου, ὁμωνύμῳ ποταμῷ τινὶ ἀλλαχοῦ κειμένῳ.*

**) Cf. narratiunculam ab Eustath. ad Hom. Il. IX. 559. p. 297. ed. Lips. prolatam. — Huc fortassis etiam facit locus Syncelli, de quo paullo inferius.

logiam circumspiciens. Docet enim Arcadius *) „nomina plurium syllabarum gentilia **exceptis compositis** in *ηνος* et *υνος* desinentia *ὀξυτόνως* esse pronuntiata, uelut *Ἀβυδηνός, Θυατειρηνός, Βοτρυηνός, Ταγγρηνός, Βιθυνός, Μαριανδυνός*, alia, eandemque regulam secutum esse uocabulum *Σειληνός*.“ Quare quum in paucissimis tantummodo libris iisque inferioris dignitatis (scriptorum, quos supra citauimus) *Εὐηνός* legatur, contra plerique et meliores libri non minus quam ueteres grammatici *Εὔηνος* pronuntiari iubeant, non dubito, quin *προπαροξυτόνως* hoc nomen scribendum sit. **) Aliter in Eueni nomine scribendo uariat Anthologiae codex Palatinus (IX. 602. 717. XI. 49.) ter formam *Εὐΐνου* (sic) exhibens, quae deprauatio, quo modo potuerit nasci, neminem latet. Saepissime enim literas H et I inter se commutatas esse propter aequalem utriusque literae pronuntiationem, permultis exemplis probari potest; sed illud unum, credo, attulisse sufficiet, quod *Φιλίτας* (ut Bachius d. Philet. loc. uit. et script. p. 4. ostendit) et in cod. Venet. Athenaei ***) *Φιλιτᾶς* pro *Φιλητᾶς* legitur. Alia denique forma prodita est a G. Syncello (Ecl. Chron. p. 254. C. ed. Niebuhr. p. 484.), ubi ex codicum auctoritate haec leguntur: „*Εὐήνιος ἐλεγείας ποιητὴς ἐγνωρίζετο. Ἐμπεδοκλῆς καὶ Παρμενίδης ἐγνωρίζοντο.*“ Niebuhrius autem, Eusebii Chron. I. p. 54. secutus, *Εὐήνιος* formam in *Εὔηνος* mutauit. Recte ****), nam aperte Syncellus Eusebium exscripsit, id quod inde satis intelligitur, quod, quae apud Eusebium Olympiadis LXXX anno II. adscripta sunt uerba, eadem eidem anno adscripsit, itaque cum Eusebio, ut postea uidebimus, in eundem

---

*) Arcad. p. 65. ed. Bark. *Τὰ εἰς ηνος ὑπερδισύλλαβα* **ἁπλᾶ** *ἢ* **παρασύνθετα** *ὀξύνεται, εἰ μὴ παρώνυμα εἴη κατὰ τρόπην γένους θυλυκοῦ εἰς τὴν εἰς ος κατάληξιν γενόμενα, ἢ παρὰ γενικῆς ἀναπεμφθέντα. κ. τ. λ. τὸ δὲ πανσέληνος* **σύνθετον**, *ὥσπερ καὶ δύστηνος, δίμηνος, τρίμηνος.* Cf. Steph. Byz. s. u. *Ἄγκυρα, Ἀβασηνοί, Βιθυνία.*

**) Ceterum pleraque nomina ab *εὖ* incipientia accentum in tertia a fine syllaba habent, uelut *Εὐήμερος, Εὔανδρος, Εὔαγρος, Εὔδωρος, Εὔρυτος, Εὔνηος, Εὔσωρος, Εὔφημος*, etc.

***) Schweighaeus. ad Athen. IX. p. 401. E.

****) Saepius G. Synzellus in nominibus afferendis errauit. Cf. Tzschirn. d. Panyas p. 8.

errorem incidens. Ceterum si analogiam spectas, facilius sane explicari potest *Εὐήνιος* nomen.

3.

Decem et septem carmina uel carminum fragmenta apud Aristotelem, Plutarchum, Stobaeum, Athenaeum atque in Anthologia (l. infra indicandis) literis mandata ad nostra tempora peruenerunt, quorum quae in Anth. extant, inter plures Euenos sunt distribuenda. Etenim in lemmatis, quae ibi carminibus ipsis praeposita inueniuntur, unum carmen Eueno Siculo, aliud Ascalonio, aliud Atheniensi, aliud grammatico, reliqua uero Eueno tribuuntur, cuius nomini nihil amplius adscriptum est. Quinque igitur Euenos tantum agnosse et ne quintum quidem satis accurate significasse uidetur, qui Anthologiae graecae carmina congessit; attamen si diligentius in ipsam Anthologiam inquirimus et ad morem, quem in ea congerenda Const. Cephalas haud dubie ea in re Philippum Thessalonicensem secutus obseruauit, animum aduertimus, mox in uno illo Eueno, cuius nomen appositione caret, duos eosque Parios latere intelligemus. Solet enim in Anthologia clarissimi cuiusque, si quidem plures eiusdem nominis fuere poetae, nomini nihil amplius, ceterorum uero nominibus explicatio quaedam adiecta esse. Sic, ut rem, quae exemplis abundat, uno saltem fulciamus, ubique notissimi illius Alcaei Mitylenaei (cf. Anth. Pal. VI. 218. VII. 55. IX. 588. XI. 12. etc.) solum nomen, contra utriusque alius Alcaei, Messenii et (iunioris) Mitylenaei epigrammatis nomen praescriptum est et patria. (Cf. Alc. Messen. epigr. in Anth. Pal. VI. 187. VII. 429. 536.) Simili modo Platonis, augustissimi illius philosophi carminibus solum Platonis nomen (cf. Anth. Pal. V. 78-80. VI. 1. 43. VII. 35. 99. 180. 256. 259. 265. 268. etc.) praepositum, at infra ad Pal. IX. 359 et IX. 758. inter comicum poetam et iuniorem Platonem distinctum est. Quae quum ita sint, nos non modo probabiliter disputasse, sed ad uerum accessisse putamus, Anthologiae auctorem, quod illius Eueni nomen solum carminibus quibusdam adscripsit, indicare uoluisse, poemata ista esse illi Eueno tribuenda, qui omnium maxime inclaruerit i. e. Pario. Inde uero simul in-

telligitur, eum aut nescisse, duos fuisse Euenos Parios, aut de industria omnia illa carmina uni Pario uindicasse. Quod, utut est, ad quaestionem nostram nullius est momenti, nam infra demonstrabimus, non posse omnia ab uno auctore esse profecta.

4.

Quae quum praemissa sint, quo minus ipsam de uita utriusque Parii quaestionem instituamus ueterumque de iis testimonia sub examen uocemus, non est, quod obstet. Consentiunt uero, ut supra iam monuimus, Eratosthenes ap. Harpocr., Photius et Suidas in eo, quod duos Euenos Parios ambosque elegiacos poetas fuisse narrant. Adiiciit insuper Eratosthenes, ad famam peruenisse tantum minorem. Sed quaeritur, quo tempore uterque uixerit. Plato tribus locis (Apol. Socr. p. 20. B. Phaedon. p. 60. D. p. 61. C. Phaedr. p. 267. A.) Euenum quendam Parium commemorat, et Socratem ita de eo facit loquentem, ut aequalis Socrati natu paullulum maior fuisse uideatur. Quam ex Platonis testimonio unius Eueni collegimus aetatem confirmant, quae Eusebius Chron. I. p. 54. ed. Scalig. et G. Syncellus l. c. ad annum Ol. LXXXII, 2. adscripserunt uerba: *Εὔηνος ἐλεγείας ποιητὴς ἐγνωρίζετο· Ἐμπεδοκλῆς καὶ Παρμενίδης ἐγνωρίζοντο·* His uerbis, si solum de Eueni aetate testimonium contineretur, admodum caute esset utendum, quippe quibus error insideat. Nam Empedocles et Parmenides, quos una cum Eueno Ol. LXXXII. 2. floruisse Eusebius dicit, nondum hoc tempore, sed hic (cf. Parmenid ed. Karst. Vol. I. pt. 2. p. 4. sq.) Ol. LXXXVI, ille (cf. Empedocl. ed. Sturz. I. p. 7. sq.) Ol. LXXXIV floruit. Vti igitur in hac re errauit Eusebius, ita eum in constituendo Eueni flore errasse posset aliquis dicere, nisi Platonis auctoritate eius testimonium satis muniretur. Huc facit etiam locus Maximi Tyrii (diss. XXXVIII. 4. p. 225. ed. Reisk.), quo ab Eueno discimus doctum esse Socratem *)

*) Huic loco repugnare uidetur Suidae (s. u. *Σωκράτης*) locus, ubi Euenus inter Socratis auditores refertur. Sed miror Gaisfordium, quod quamquam antea uocabulum *φιλόσοφοι* a codicibus optimis Parisin Vossian. praetermissum eiecit, tamen uocem *Εὔηνος* expellere noluit

artem poeticam. Quae narratiuncula, siue uera siue falsa est, confirmat tamen sententiam, Euenum aequalem fuisse Socrati paullulum maiorem. Quare Passowius errauit, qui (Init. hist. literar. graec. et rom. p. 17.) ad Ol. XCI. 3. Euenum quendam Parium inclaruisse scripsit, quoniam iuniorem potuisse hoc tempore, si quidem natus fuit, nondum ex pueris excessisse mox docebimus.

Quo tempore natus sit, quo Athenas uenerit Euenus Parius, tanta uestigiorum inopia accurate non potest explorari; tamen nos circa quadragesimum demum annum Athenis eum famae celebritatem consecutum esse haud multum a uero aberrare opinamur. Quare si inde ab Ol. LXXXII. 2. decem Olympiadibus retro numeratis natum ipsum Ol. LXXII. 2. dicimus, probabiliter disputasse remur.

Iisdem fere tenebris, quibus originis tempus uelatum est, Eueni uita quoque est obtecta, quum praeter tres Platonis locos, quos nunc deinceps afferemus, omni auxilio destituti simus. Lucis tamen aliquid loci Platonici afferunt, quippe quibus doceamur, qualis philosophus idemque poeta fuerit Euenus. Primo uerba de eo facit Plato in Apol. Socr. p. 20. B. Socrates ibi criminationem, se esse sophistam, eo studet propulsare, quod suam cum Gorgiae, Prodici, Hippiae aliorumque sophistarum uita docendique ratione comparat. „Nam horum quisque, ait, potest in quamuis urbem profectus adolescentes, quos nihil prohibet cum quocunque uelint suorum ciuium gratis uersari, persuadere, ut relicta illorum consuetudine cum ipsis uersentur, pretio soluto atque insuper gratiam habeant." Dein pergit: *ἐπεὶ καὶ ἄλλος ἀνήρ ἐστι Πάριος* *) *ἐνθάδε σοφὸς, ὃν ἐγὼ ᾐσθόμην ἐπιδημοῦντα· ἔτυχον γὰρ προς-*

---

licet a tribus optimis codd. omissam. Patet insuper, hanc uocem illatam esse a librario quodam ex Phaedonis loco, ubi pariter atque apud Suidam Eueni nomen cum Simmiae Thebani nomine coniunctum inuenitur.

*) Euenus tangi etiäm uidetur loco Xenophontis (Conuiu. c. l. § 5) *καὶ ὁ Σωκράτης εἶπεν· ἀεὶ σὺ (ὦ Καλλία), ἐπισκώπτεις ἡμᾶς καταφρονῶν, ὅτι σὺ μὲν Πρωταγόρᾳ τε πολὺ ἀργύριον δέδωκας ἐπὶ σοφίᾳ καὶ Γοργίᾳ καὶ Προδίκῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς, ἡμᾶς δὲ κ. τ. λ.* cf. Herbst. ad h. l.

ελθὼν ἀνδρὶ, ὃς τετέλεκε χρήματα σοφισταῖς πλείω ἢ ξύμπαντες οἱ ἄλλοι, Καλλίᾳ τῷ Ἱππονίκου· τοῦτον οὖν ἀνηρόμην — ἐστὸν γὰρ αὐτῷ δύο υἱέε — Ὦ Καλλία, ἦν δ᾽ ἐγὼ, εἰ μέν σου τὼ υἱέε πώλω ἢ μόσχω ἐγενέσθην, εἴχομεν ἂν αὐτοῖν ἐπιστάτην λαβεῖν καὶ μισθώσασθαι, ὃς ἔμελλεν αὐτὼ καλώ τε κἀγαθὼ ποιήσειν τὴν προσήκουσαν ἀρετήν· ἦν δ᾽ ἂν οὗτος ἢ τῶν ἱππικῶν τις ἢ τῶν γεωργικῶν· νῦν δ᾽ ἐπειδὴ ἀνθρώπω ἐστὸν, τίνα αὐτοῖν ἐν νῷ ἔχεις ἐπιστάτην λαβεῖν; τίς τῆς τοιαύτης ἀρετῆς, τῆς ἀνθρωπίνης τε καὶ πολιτικῆς, ἐπιστήμων ἐστίν; οἶμαι γάρ σε ἐσκέφθαι διὰ τὴν τῶν υἱέων κτῆσιν. ἔστι τις, ἔφην ἐγὼ ἢ οὔ; Πάνυγε, ἦ δ᾽ ὅς. Τίς, ἦν δ᾽ ἐγὼ, καὶ ποδαπός; καὶ πόσου διδάσκει; Εὔηνος, ἔφη, ὦ Σώκρατες, Πάριος, πέντε μνῶν. Καὶ ἐγὼ τὸν Εὔηνον ἐμακάρισα, εἰ ὡς ἀληθῶς ἔχει ταύτην τὴν τέχνην καὶ οὕτως ἐμμελῶς *) διδάσκει. ἐγὼ γοῦν καὶ αὐτὸς ἐκαλλυνόμην τε καὶ ἡβρυνόμην ἂν, εἰ ἠπιστάμην ταῦτα· ἀλλ᾽ οὐ γὰρ ἐπίσταμαι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι. — Cum his uerbis dignus est, qui conferatur Phaedonis locus. Cebes ibi dicit: „propterea quod Socrates nuper Aesopi fabulas in uersus redegerit hymnumque in Apollinem fecerit cum alios tum praecipue Euenum uenisse, qui interrogaret, quo tandem modo factum sit, ut Socrates, utpote qui antea nunquam carmen finxerit, hoc demum tempore in custodia carmina coeperit condere. Quaerit tunc ex Socrate, quid Eueno, quem iterum interrogaturum esse suspicetur, dicat? Cui respondet Socrates: λέγε τοίνυν αὐτῷ, ὦ Κέβης, τἀληθῆ, ὅτι οὐκ ἐκείνῳ βουλόμενος οὐδὲ τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ ἀντίτεχνος**) εἶναι ἐποίησα

*) Ad haec uerba adnotat Stallbaumius: „uerba καὶ οὕτως ἐμμελῶς uidentur intelligenda esse de modico pretio τῶν πέντε μνῶν. Nam ἐμμελὲς dicitur, quidquid a recto modo non recedit. Metaphora enim sumta est a musicis, qui seruant praescriptum canendi modum atque numerum. Magna autem his uerbis inest urbanitas. Nam Socrates si dixisset: οὕτως εὐτελῶς, Euenum atque adeo Calliam nimis risisset. Vsus est igitur eo uocabulo, quo quum uideretur Euenum laudare, tamen et huius uiri leuitatem et ceterorum sophistarum auaritiam acerbe notaret.

**) Hic uerbis lenem Eueni cauillationem inesse nullus interpretum praeter Heindorfium negauit, qui moriturum ne leuissimam quidem hominis cauillationem decere et mox insuper sophistam Simmiae uerbis perstringi dicit. Sed Heindorfium fugit, moriturum quidem esse

ταῦτα. ᾔδειν γὰρ, ὡς οὐ ῥᾴδιον εἴη. In sequentibus narrat Socrates, quid eum commouerit, ut carmina nunc fingere susceperit. Postea addit: ταῦτα οὖν, ὦ Κέβης, Εὐήνῳ φράζε, καὶ ἐῤῥῶσθαι καὶ, ἂν σωφρονῇ, ἐμὲ διώκειν ὡς τάχιστα. Socratis orationem Simmias excipit his uerbis: οἷον παρακελεύει τοῦτο, ὦ Σώκρατες, Εὐήνῳ; πολλὰ γὰρ ἤδη ἐντετύχηκα τῷ ἀνδρί. σχεδὸν οὖν ἐξ ὧν ἐγὼ ᾔσθημαι, οὐδ᾽ ὁπωστιοῦν σοι ἑκὼν εἶναι πείσεται. Τί δαί; ἦ δ᾽ ὅς· οὐ φιλόσοφος Εὔηνος; Ἔμοιγε δοκεῖ, ἔφη ὁ Σίμμιας· Ἐθελήσει τοίνυν, ἔφη, καὶ Εὔηνος καὶ πᾶς, ὅτῳ ἀξίως τούτου τοῦ πράγματος μέτεστιν. οὐ μέντοι γ᾽ ἴσως βιάσεται αὐτόν· οὐ γάρ φασι θεμιτὸν εἶναι. — His duobus Platonis locis, antequam quid ex iis colligendum uideatur, exponamus, tertius ex Phaedro (p. 267. A.) aggerendus est, quippe ex quo accuratius etiam Eueni artem poeticam cognoscamus. Nempe ibi haec (Socratis) uerba leguntur; Τί μήν; καὶ ἔλεγχόν γε καὶ ἐπεξέλεγχον ὡς ποιητέον ἐν κατηγορίᾳ τε καὶ ἀπολογίᾳ. Τὸν δὲ κάλλιστον Πάριον Εὔηνον εἰς μέσον οὐκ ἄγομεν, ὃς ὑποδήλωσίν τε πρῶτος εὗρε καὶ παρεπαίνους; οἱ δ᾽ αὐτὸν καὶ παραψόγους φασὶν ἐν μέτρῳ λέγειν, μνήμης χάριν· σοφὸς γὰρ ἀνήρ. Quae uerba, ut melius intelligantur, non inutile erit attulisse, quae L. Spengelius (Artium script. p. 92.) de hoc loco scripsit: „Astius haec omnia uel absurda esse uel nullum sensum habere censet. Sed eloquentiae praecepta in uersus redacta*) non magis mihi uidentur mira, quam naturae aut coeli leges longo explanatae carmine, metris metrorum docere doctrinam uel, ut etiam nunc fit, grammatices regulas eorumque exceptiones hexametris comprehendere tironum in usum, ut: Mascula sunt etc. — Tales res quum magnam requirant diligentiam multaque obrutae sint difficultate,

---

Socratem (sequente die), neque uero morientem; hunc sane ironia non amplius usurum esse credam. Ironiam autem huic loco subesse, ex loco Phaedri etiam intelligitur utpote luculenter docente, quale illud poesit genus fuerit, quod Socrates Eueno tribuit.

**) Longin. art. p. 718. (uulgo Apsines) τοιγαροῦν καὶ τὰ μέτρα μᾶλλον μεμνήματά τῶν ἄνευ μέτρου πεποιημένων, ὅτι δεῖ τὸ τοῦ ῥυθμοῦ κατὰ τὸ τῆς εὐταξίας ἀνάλογον μνημονεύοντες καὶ τὰ καθ᾽ ἕκαστα τῶν ῥημάτων ἀνιχνεύομεν κατὰ πόδας ζητοῦντες τὸ λεῖπον ἐξ ὧν προειλήφαμεν.

uel maxime demonstrant poetae ingenium, quos eloquentiam suo more et suo ipsorum lingua tractasse libenter concedimus. Quae uero illa sint, ueteres iam tradunt, Hermias p. 191. *παρεπαίνους δὲ λέγει ἵνα ἀντικρὺς μὴ ἐπαινεῖ, δοκεῖ δὲ ἐπαινεῖν, ὁμοίως δὲ καὶ ψέγειν*. Est enim *ὑποδήλωσις*, cuius partes *παρέπαινος* et *παράψογος*, ironia quaedam, qua u. c. quem initio laudari putas, acerbe exagitatur. Haud raro enim accidit, ut quo minus aduersarium uehementer impugnemus, prudentia nos impediat, sed multa ut cumulemus laude et honore cogamur, quod ne ex animi dictum uideatur sententia, tecte et sensim iacula emittenda sunt, cuius rei praecepta non inutilia saepius oratori succurrunt et si dextre his uti scit armis, feliciter ut agat caussam efficiunt. Nec ignota haec posterioribus; exemplum praebet Apsines p. 691. Ald."

5.

Horum trium Platonis locorum si argumenta comprehendimus, intelligimus Euenum ex illorum sophistarum grege, qui maximam partem in rebus externis philosophiam ponunt, fuisse*) et Gorgiae, Prodici ceterorumque more rhetoricam et philosophiam pretio tradidisse, in eo autem ab reliquis sophistis discessisse, quod, ut discipulorum memoriae succurreret, haec praecepta in carminis formam ligauerit. In hac autem ne dicam **sola** re tamen maxime eius artem poeticam positam fuisse, locus etiam ex Phaedone allatus docet, ubi Socrates, se nolle Eueni *ἀντίτεχνον* esse dixerat, quamquam ipse tantum Aesopi fabulas in uersus redegerat. Cur diceret Socrates, se orationem pedestrem uersibus polientem, cui quidem rei ceteroquin multum tribuit **), nolle aemulum ***) Eueni esse, si hunc alia carmina finxisse ac praecipue **clarum elegiarum**

---

*) Optime hujus generis philosophos depinxit Lucianus in Conuiuio et al.

**) Inde etiam explicationem ferunt uerba Phaedr. l. c. *σοφὸς γὰρ ἀνήρ*, nam haud facile fuisse, tales res, quales Plato commemorauit, in uersuum formam inducere, credendum est.

***) Ironice haec uerba dicta esse iam supra monuimus. — Groen v. Prinsterer (Prosogr. Platon. p. 25 sq.) ad h. l. Platonis adnotat: non consilii expertem uoce *ἀντίτεχνος* Platonem usum esse, quod uerbum quidem saepius aemuli significatione usurpetur, ut hic ironiae aliquid contineat in eum, qui ingenii inopiam artis (*τέχνης*) ope compensare uelit.

poetam fuisse sciret? Eueninae igitur poesis naturam descripsisse putamus, si eam philosophicam uel rhetoricam poesim nominauerimus. Cuius quidem poesis exemplar relictum nobis est in fragmento 1, quod licet ex duobus hexametris constet a quibusdam elegiacis Eueni carminibus mistum est. Arguit autem et forma, nam etiam alii philosophici (ut ita dicam) poetae, Parmenides, Empedocles, Xenophanes carmina hexametris contexere solebant, — et argumentum, extare in hoc carmine genuinum Eueni maioris fragmentum, Patet simul, eum poetam non admodum magnum fuisse. Alia eiusdem poetae seruata nobis esse carmina non tam confidenter affirmauerim, quam Weberus, qui carmina 2, 3, 4, 5, 6 (b), 11 et uersum 6 carminis 6 (a) ab hoc profecta ait. Nam si re uera Euenus praeter uersus, quorum naturam supra descripsimus, alia carmina pepigit, eum tantummodo talia, qualia ad illud genus proxime accedebant, i. e. *γνώμας δι' ἐλεγείας* *), ut Suid. de Theognide refert uel *παραινέσεις* similes Theognideis finxisse cum aliquo iure statuere poterimus. Inde etiam intelligitur, qui factum sit, ut (cf. fragm. 6.) eius uersus in Theognideas reliquias irrepserint, nec impetrare a me possum, quin plures Eueni uersus in his latere suspicer. Quae quum ita sint, Eueno haud dubie adiudicanda erunt carmina 2, 3, 4. Carmen 5 nescio an cum Hermia eidem poetae assignandum sit; equidem fere mihi persuadeo, petitum esse hunc uersum ex longiore carmine, in quo de pueris diligenter educandis poeta uerba fecerit. Carmen 6 (a et b), quo praecepta conuiualia continentur, qualia etiam Theognis finxit (cf. Theogn. inde a uers. 291. sqq. ed. Welck.), posse ab hoc tantum Eueno profectum esse infra declarabimus, illud autem iam hoc loco moneatur necesse est, ex hoc fragmento intelligi, Euenum longius carmen praeceptiuum, ut Theognidem ad Cyrnum, ita ad Simonidem quendam scripsisse, de quo Simonide **)

---

*) Similiter Tyrtaeo *ὑποθήκας δι' ἐλεγείας* Suid. s. u. *Τυρταῖος* tribuit.

**) Vide an forte Ceus minor dictus sit, de quo Suidas (s. u. *Σιμωνίδης*) haec habet: *Σιμωνίδης Κεῖος θυγατριδοῦς κατά τινας τοῦ προτέρου* (i. e. celeberrimi illius Cei), *ὃς ἐπεκλήθη Μελικέρτης· γέγονε πρὸ τῶν Πελοποννησιακῶν, καὶ γέγραφε Γενεαλογίαν ἐν βιβλίοις τρισίν, εὑρήματα ἐν βιβλίοις τρισίν.*

licet nobis ignoto eodem fortasse modo, quo de Cyrno Theognidis iudicari potest. De quo in hunc modum disputat Welckerus (Proleg. Theogn. p. LXXVII): „Cyrni allocutionem ad solam adeo libri formam pertinere, demonstrari potest. Primum didascalico carmine communi usu inhaerebat apostrophe. Ac profecto, qui apud lyricos quoque poetas obtinuit mos, ut amico blande compellando speciem quandam rei non fictae, sed uerae efficerent, qua maxime mouetur affectus, uel, quo uellent animo sensa sua excipi, significarent, quasi non alienissimo cuique, sed amicis tantum penetralia pectoris aperientes, is gnomicae poesi magis etiam conueniebat. Mitigata enim per paternae beneuolentiae significationem praeceptorum seueritate, facilius illa se in iuuenum animos insinuabant" etc. — Decimum carmen a maiore Eueno profectum est nequit, cum in eo Praxitelis mentio fiat, quem Ol. CIV. demum floruisse scimus (cf. Plin. H. N. XXXIV. 2, 19. Pausan. VIII. 9. 1. Sillig. catalog. artitif. p. 379 sq.), quare ut Euenus, de quo agimus, id fingere potuisset, fere ad centum et triginta annorum aetatem peruenisset oportebat. Eodem modo carmen 9 alium auctorem quam maiorem Parium procatur, quum decimo fragmento (cf. utriusque lemmata) idem auctor sit atque nono et utrumque idem Praxitelis artificium laudet. At etiam reliquorum carminum, 7, 8, 11, 12 hunc Euenum auctorem esse negamus, nam si haec poemata nullo pacto sophistae rhetoricesque praeceptoris animum spirare considerauerimus et Platonis de Eueno iudicii meminerimus, uix ea esse ab hoc effìcta poterimus nobis persuadere. — Sed ad hunc Euenum refero etiam dictum, quod in Plut. quaest. Platon. 1010 (s. p. 108. T. X. ed. Reisk.) extat: *Εὔηνος καὶ τὸ πῦρ ἔφασκεν ἡδυσμάτων εἶναι ἄριστον.* — Atque haec sunt, quae hoc loco de maiore Pario dicenda habui.

6.

Quae quum de Eueno Pario maiore cognita sint, in minoris inquirendum est uitam. Qui quo tempore uixerit, si primum quaeris, memineris quaeso eorum, quae antea de carmine 10 disputauimus. Vidimus § 3, hoc epigramma a Pario quodam Eueno profectum, intelleximus porro § 5, idem posse

nonnisi post Ol. CIV. ideoque non a maiore Pario effictum esse. Quare si Euenus minor post Ol. CIV. elegias scripserit oportet, idem uero iam ab Eratosthene (ap, Harpocr. l. b,). quem natum scimus Ol. CXXVI, 1. commemoratus est, habemus fines, quos in definiendo eius uitae tempore transgredi non licet. Sed multo propius ad poetae nostri aetatem indagandam accedimus ea re satis perpensa, quod Harpocratio, cuius uerba § 2. attulimus, duobus de utroque Pario testibus usus est, Eratosthene et Hyperide. Hyperides autem occisus est Ol. CXIV, 3., quare iam ante Ol. C. minorem Parium natum suspicor. Eum Eratosthenes tradidit solum inclaruisse, cuius uerba non ita accipienda puto, ut Euenus maior suo tempore ad nullam famam peruenerit, sed ut minor tantum poetae gloriam consecutus sit. Ac profecto admodum ueri est simile, paullo post mortem maioris Parii carmina eius didactica maximam partem obliuione esse obtecta, praesertim cum similia carmina, quoad Eueni uersus non ad solam rhetoricam spectabant, longe clariorum poetarum, uelut Solonis et Theognidis in oribus cum puerorum tum uirorum essent. Ad minorem Euenum igitur non dubitauimus carmina amatoria referre, quae Eueno cuidam tribuuntur et uehementer lecta esse uidentur. Tradit enim Artemidor. Oneir. I. 4. s. fin. (p. 17. ed. Reiff.) *καὶ τὸ ξενοδοχεῖον κάμηλος καλούμενον, τὸν μηρὸν κατάξειν, ἐπεὶ καὶ τὸ ζῶον τὸ καλούμενον κάμηλος μέσους κάμπτει τοὺς μηροὺς ἐπιτεμνόμενον τοῖν σκελοῖν τὸ ὕψος, ἐτύμως κεκλημένος κάμηλος οἱονεὶ κάμμηρος, ὥς φησιν Εὔηνος ἐν τοῖς εἰς Εὔνομον* *) *Ἐρωτικοῖς*" *κ. τ. λ.* Quae carmina ualde obscoena fuisse patet ex Arriani Disput. Epictet. IV. 9. § 6. „*καὶ τί, φησὶν, ἀπολλύω; ἄνθρωπε ὑπῆρχες αἰδήμων, καὶ νῦν οὐκέτι εἶ· οὐδὲν ἀπολώλεκας; ἀντὶ Χρυσίππου καὶ Ζήνωνος Ἀριστείδην ἀναγιγνώσκεις καὶ Εὔηνον; οὐδὲν ἀπολώλεκας; ἀντὶ Σωκράτους καὶ Διογένους τεθαύμακας τὸν πλείστας διαφθεῖραι καὶ ἀναπεῖσαι δυνάμενον;* Coniungitur hoc loco Euenus cum Aristide, Milesiarum scriptore, qui tam impudica scripsit, ut Ouidius de eo dicat:

---

*) Eunomus ille, ad quem Euenus *Ἐρωτικά* scripsit, quis fuerit, latet nos. Fortasse eius nomen fictum est.

Trist. II. 412.
Iunxit Aristides Milesia crimina secum.
Ibid. II. 443.
Vertit Aristidem Sisenna: nec obfuit illi
Historiae turpes inseruisse iocos.

et Plutarchus (uit. Crass. u. 32. T. III. p. 492. ed. Reisk.) narret: „post Crassi ad Carrhas cladem, cum Romanorum castra despoliarentur repertas esse in centurionis cuiusdam tentorio Aristidis res Milesias, quem librum ad senatum Seleuciae afferri curasse Surenam uictorem, quo ostenderet, quantopere mores Romanorum deprauati sint, qui ne in bello quidem talium librorum lectione carere possint." — Arriani testimonium confirmant Ausonii uerba, qui sese excusaturus, quod tale carmen (Centonem Nuptialem) contexuerit, haec habet: (Cent. Nupt. p. 517. ed. Toll.)

„Sed quum legeris, adesto mihi aduersus eos,

qui, ut Iuuenalis ait,

— Curios simulant et Bacchanalia uiuunt:
ne forte mores meos spectent de carmine,
Lasciua est nobis pagina, uita proba,

ut Plinius dicit. Meminerint autem, quippe eruditi, probatissimo uiro Plinio in poematis lasciuiam, in moribus constitisse censuram; prurire opusculum Sulpitiae, frontem caperare: esse Apuleium in uita philosophum, in epigrammatis amatorem; in praeceptis omnibus extare seueritatem, in epistolis ad Caerelliam subesse petulantiam. Platonis Symposium composita in ephebos edyllia continere. Nam quid Anniani fescenninos? Quid antiquissimi poetae Laeuii Erotopaegnion libros loquar. Quid Euenum, quem Menander sapientem uocauit? etc." — Simili modo Philetam praeter elegias etiam carmina amatoria scripsisse scimus (Cf. Bach. de Philet. p. 13). Ex Eueni amatoriis fortassis ad nostra tempora peruenit carmen 11, quod uenustate profecto Mimnermi carminibus non cedit nobisque Euenum minorem, si quidem plures eiusmodi uersus finxit, esse magnam claritudinem adeptum affirmare licet. — De aliis scriptis ut de reliqua Eueni uita uestigia desunt.

7.

Pauca sunt, quae de reliquis Euenis dicenda habemus, quippe de quibus praeter nomina nihil fere memoriae proditum sit. Commemorari autem praeter utrumque Parium quattuor alios, Ascalonium, Siculum, Atheniensem, Grammaticum, in lemmatis carminum, quae in cod. Palat. Anthlogiae praeposita reperiuntur, supra iam monuimus. Quorum eosdem Iacobsius (Anth. Gr. T. XIII. p. 893) fuisse putat Euenum Atheniensem et Grammaticum, Ascalonium et Siculum, corruptum iudicans uocabulum Σικελιώτης ex uoce Ἀσκαλωνίτης. Quae quum in coniectura posita sint, refutatione, licet nobis discipliceant, supersedere possumus; nam equidem persuadere nunquam mihi potero, eundem poetam finxisse carmen 15 et 16. Eodem modo aliter de Eueno Ascalonio, quem non diuersum suspicor a Pario minore, sentio. Videmus enim, quod ei tribuitur carmen 13, per totam antiquitatem diuulgatum, unde colligi licet, cum eo etiam eius poetam innotuisse. Euenum Ascalonium autem praeter librarium, qui codicem Palatinum scripsit, nemo agnoscit; contra satis notum est, quantopere de clarorum scriptorum patria saepissime fabulari solitum sit. Sic, ut hanc rem quamquam exemplis redundantem, uno tamen exemplo confirmemus, Aristophanes comicus a nonnullis Atheniensis, ab Aliis Rhodius, ab aliis Lindius, ab aliis Camiraeus, ab aliis Aegyptius, ab aliis Aegineta, ab aliis denique Naucratita dictus est *), ueri autem est simillimum, Atheniensem eum fuisse. Quare uulgatissimum illud carmen ad eum Euenum, quem solum Eratosthenes inclaruisse narrauit, transfero neque diuersos pute Parium minorem et Ascalonium. **) Sed etiam de reliquis Euenis uidendum.

---

*) Cf. Aristoph. uit. ed. Rank. p. CCII.

**) Ceterum uide an forte Ἀσκαλωνῖ uox in Palatino corrupta sit ex Ἀσκωλιάζειν· Probabilitati enim non repugnat, in codice, ex quo Palatini librarius descripsit, breuiter ab aliquo significatum fuisse, Eueni quod sequatur epigramma, reperiri etiam apud Suidam (T. I. p. 354) s. u. ἀσκωλιάζειν, atque hanc uocem, quippe quam Palatini librarius non intelligeret, mutatam esse in istam formam. Haec autem sunt Suidae uerba: καὶ ἀσκωλιάζειν· ἑορτὴν οἱ Ἀθηναῖοι

Apud Suidam haec leguntur s. u. *Φιλίσκος ἢ Φίλιστος, Συρακούσιος, ἱστορικός. ἦν δὲ συγγενὴς Διονυσίου τοῦ τυράννου Σικελίας καὶ ἐν τῇ πρὸς Καρχηδονίους ναυμαχίᾳ ἐτελεύτησε. Μαθητὴς δὲ ἦν Εὐήνου τοῦ ἐλεγειοποιοῦ. Ἔγραψε Σικελικά· ἔστι δὲ τὰ πρὸς Ἕλληνας αὐτοῖς πραχθέντα διαφόρως· καὶ Γενεαλογίαν, περὶ Φοινίκης, καὶ ἄλλα τινὰ περὶ τῆς νήσου Σικελίας.* Porro s. u. *Φίλιστος, Ναυκρατίτης ἢ Συρακούσιος, Ἀρχωνίδου υἱός. Μαθητὴς δὲ ἦν Εὐήνου τοῦ ἐλεγειοποιοῦ· ὃς πρῶτος κατὰ ῥητορικὴν τέχνην ἱστορίαν ἔγραψε. Συνέταξε δὲ τέχνην ῥητορικὴν, Αἰγυπτιακὰ ἐν βιβλίοις ιβ΄, Σικελικὰ ἐν βιβλίοις ιά, πρὸς τὸν Τρικάρανον, λόγον περὶ Ναυκράτεως, περὶ Διονύσου τοῦ τυράννου βιβλία ς΄, περὶ τῆς Αἰγυπτίων θεολογίας βιβλία γ΄, Δημηγορίας· καὶ ἄλλα τινά περὶ Λιβύης καὶ Συρίας.* — Goellerus (de sit. et orig. Syracus. p. 106.) ostendit, mirum in modum hic confusos esse a Suida Philistum Syracusanum, rerum Sicularum scriptorem, et Philiscum Milesium, rhetorem, Isocratis discipulum. Sed idem quoque negauit *) Philistum fuisse Eueni discipulum, non recte. Philistus enim Dionysiorum temporibus uixit; quo tempore autem natus sit, inde fortasse cum aliqua probabilitate colligi poterit, quod familiaritatem cum matre Dionysii habuisse fertur, quare quum hic natus sit Ol. LXXXVII, 2. non erraueris, si Philistrum hoc aliquot annis maiorem fuisse ponas. **) Ab omni probabilitate igitur non abhorreret eius opinio, qui puerum Philistum Eueni maioris auditorem fuisse diceret, quamquam Philistum in Sicilia educatum esse, Euenum uero Athenis docuisse ueri simile est. At uel omnino Philistum Eueni cuiusdam discipulum esse non potuisse, nullo pacto cum Goellero *) affirmare ausus sim, Suidae enim, quoad fieri potest, fides est habenda. Minoris sane Parii institutione usus esse nequit; sed quid, si

---

ἦγον τὰ Ἀσκώλια· ἐν ᾗ ἥλλοντο τοῖς ἀσκοῖς εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου· δοκεῖ δὲ ἐχθρὸν εἶναι τῇ ἀμπέλῳ τὸ ζῶον. ἀμέλει γοῦν καὶ ἐπίγραμμα φέρεται πρὸς τὴν αἶγα οὕτως ἔχον.

Κῆν με φάγῃς etc. cf. fgt. 13.

Ἀσκωλίαζε δὲ ἀντὶ τοῦ ἅλλου. Etc.

*) L. c. p. 116.

**) L. c. p. 106. Voss. de hist. gr. lib. I. c. 6. p. 55. ed. Westerm.

Euenus Siculus is est, quem Suidas uel quicunque a Suida exscriptus est, Philisti praeceptorem dixit. Nihil quidem praeterea de hoc Eueno scimus, sed is omnino magnam gloriam non uidetur adeptus esse, quod profecto mirum non erit, si talia tantum, quale est carmen 14, finxit. — Eueno grammatico denique ceteroquin ignoto Reiskius carmen, quod (Anth. Pal. VI. 170.) in Const. Cephalae Anthologia *ΘΥΗΛΛΟΥ*, in Palatino antem *θυιλαου* inscriptum est, assignare uoluit, corruptum illud iudicans ex *ΕΥΗΝΟΥ;* sed Palatini scriptura docet, scribendum esse *ΘΥΙΛΛΟΥ* et poema illud referendum esse ad Satyrum Thyillum, de quo plura habet Iacobsius in catalog. poet. Anth. Gr. T. XIII.

His praemissis superest, ut Eueni nomen apud alios quoque, quam quos supra commemorauimus scriptores, negligentia uel inscitia librariorum deprauatum inueniri adnotemus. Ita e. c. comparatus est locus Censorino subiectus, ubi (c. 9. p. 140. ed. Havercamp. uulgo haec legebantur: — „hos secuti elegiarii Callimachus (Callinus?), Mimnermus, Euhemerus (Euenus).“ Cf. Iac. Nic. Loënsis in Miscell. Epiphyll. l. IX. c. 1. (p. 686. in Gruteri Lampad. crit. Tom. V. suppl.) Sévin. in hist. acad. inscript. Paris. T. III. p. 129. Bentl. et Ruhnk. ad Callim. fragm. p. 439. (ed. Ernest.) Valer. Emendat. l. IV. c. 14. p. 116. sq. — Sed haec hactenus.

II.

EVENORVM CARMINA.

Vt ubiuis in re Graecorum literaria, ita in tradendis Euenorum carminibus tanta fuit temporum inuidia, ut XVII tantum *) tot poetarum poemata nobis relicta sint, quae deinceps singula enumerabimus breuibusque adnotationibus illustrabimus.

*) Fabric. T. I. p. 738. ed. Harl. narrat auctore Bandinio, aliquot Eueni aliorumque sententias cum in Arsenii Violeto, tum apud Maximum Monachum reperiri, sed uereor, ne errauerit, nam equidem reperire nihil potui.

1.

Aristoteles Ethic. Nicom. VII, 11. (cf. Ethic. Eudem. VI. 10.) haec habet: *Εὐιατοτέρα δὲ τῶν ἀκρασιῶν, ἣν οἱ μελαγχολικοὶ ἀκρατεύονται, τῶν βουλευσαμένων μὲν, μὴ ἐμμενόντων δέ· καὶ οἱ δὲ ἐθισμοῦ ἀκρατεῖς, τῶν φυσικῶν. ῥᾷον γὰρ ἔθος μετακινῆσαι φύσεως. διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τὸ ἔθος χαλεπὸν ὅτι τῇ φύσει ἔοικεν, ὥςπερ καὶ Εὔηνος λέγει·*

Φημὶ πολυχρονίην μελέτην ἔμεναι, φίλε· καὶ δὴ
ταύτην ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι.

quos uersus Brunckius prorsus praetermisit Gaisfordius uero mirum in modum elegiacis miscuit. Quis autem non intelligat, eosdem, quibus sententia inest: „diuturnam esse exercitationem, sed eam tandem uel (alteram) naturam fieri hominibus“, fragmentum longioris carminis philosophici uel rhetorici argumenti esse, in quo haud dubie sophistes multa praeceperat, quae discipulos continuata exercitatione sua facere iusserat, ut ea tandem tanquam cum lacte nutricis imbibisse uiderentur. Qui uersus igitur optime Platonis de Eueni arte poetica, quod supra exhibuimus testimonium, confirmant.

2.

Reperitur in Stobaei Florileg. XLIX. p. 355. Gesn. p. 197. Grot. Receptum inde a Brunckio in Gnom. Graec. I. p. 164. n. 2. Analect. I. 1. p. 320. a Iacobsio in Anthol. Palat. T. II. p. 761. (App. epigr. n. 24.)

Πρὸς σοφίᾳ μὲν ἔχειν τόλμαν μάλα σύμφορόν ἐστι.
χωρὶς δὲ βλαβερὴ καὶ κακότητα φέρει.

Similiter Eurip. Temenid. fgt. XI. *ῥώμη δέ γ' ἀμαθὴς πολλάκις τίκτει βλάβην.* Isocr. ad Demonic. p. 2. *ῥώμη μετὰ μὲν φρονήσεως ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύτης πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε.* Horat. Od. III. 4, 65. Vis consili expers mole ruit sua; Vim temperatam di quoque prouehunt In maius. — Cic. d. Off. I. 19, § 63. Non solum scientia, quae est remota ab iustitia, calliditas potius, quam sapientia est appellanda; uerum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciae potius nomen habeat quam fortitudinis. — *Τόλμαν,* quod nonnulli Atticis tanquam inusitatum damnare uoluerunt, apertis uerbis tuetur Phrynich. App. Soph.

p. 66. 33. scribens: *τόλμη καὶ τόλμα, πρύμνη καὶ πρύμνα, νάρκη δὲ διὰ τοῦ η.* Suid. *νύμφα, νύμφη ὡς τόλμα, τόλμη,* alteri formae plurimos, alteri antiquiores testes tribuere uidetur. Lobeck. ad Phryn. p. 331. *τόλμη* ex libris fere euanuisse adnotat. Cf. Herm. ad Soph. Aiac. 983. Schneid. ad Platon. Ciuit. IX. p. 585. A. Dindorf. praef. scen. graec. p. XXVI.

3.

Extat hoc distichon ap. Stob. Floril. XX. p. 171. Gesn. p. 103. Grot. unde transiit in Brunck. Gn. Gr. I. p. 146. n. 1. An. I. 1. p. 320. Iacobs. Anth. Pal. T. II. p. 761. (App. Epigr. n. 22.)

Πολλάκις ἀνθρώπων ὀργὴ νόον ἐξεκάλυψε
κρυπτόμενον μανίας πουλὺ χερειότερον.

Philem. ap. Stob. XX. p. 171. 38. *μαινόμεθα πάντες, ὁπόταν ὀργιζώμεθα.* Similes sententias collegit Barth. ad Claudian. p. 620. — Vs. 2. *χειρότερον.* Vulg. *χερειότερον* Brunckius primus exhibuit ex emendatione Grotii. — *ὀργὴ* — *χερειότερον.* — Similia huius dicendi generis exempla sunt: Eurip. Hippolyt. 101. *τερπνὸν ἐκ κυναγίας τράπεζα πλήρης.* Ibid. 421. *Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸν, ἢν πολλὴ ῥυῇ.* Orest. 218. *δυςάρεστον οἱ νοσοῦντες ἀπορίας ὕπο.* Ibid. 220. *μεταβολὴ πάντων γλυκὺ μάλιστα.* Plat. Sympos. 216. C. *χαλεπὸν τοῖς ἀνθρώποις ἡ μέθη ἐστί.* Aristoph. Acharn. 1115: *πότερον Ἀκρίδες ἥδιόν ἐστι ἢ κίχλαι.* Menand. ap. Stob. Ecl. Phys. I. 8. p. 213. Heer. *τυφλόν γε καὶ δύστηνόν ἐστιν ἡ τύχη.* Virgil. Ecl. 3. Triste lupus stabulis. Ibid. Dulce satis humor. — In quo dicendi genere putant subaudiendum esse *χρῆμα* uel simile substantiuum. Cf. Monk. ad Eurip. Hippol. 401. Dorvill. ad Charit. p. 244. Abresch. Dilucid. Thuc. p. 330. Herm. ad Vig. p. 63.

4.

Integrum extat ap. Athen. IX. p. 367. E. relatum ad *Πάριον Εὔηνον* (Athenaei cod. Laurent. *πάρνον εὔημον*). Quattuor priores uersus citat Stob. Serm. LXXX. p. 472. Gesn. (p. 345. Grot. ubi tamen Grotius ex Athenaeo sine dubio ultimum distichon addidit). Quartum uersum iterum citat Athenaeus X. p. 429. F. — Hinc abiit carmen in Brunck. Gn. Gr. I. p. 164.

n. 3. Anal. I. 1. p. 320. Jacobs. Anth. Pal. T. II. p. 761. (App. Epigr. n. 23.)

Πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως·
ὀρθῶς δ' ἀντιλέγειν οὐκ ἔτι τοῦτ' ἐθέλει.
καὶ πρὸς μὲν τούτους ἀρκεῖ λόγος εἷς ὁ παλαιός·
σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἔστω, ἐμοὶ δὲ τάδε.
τοὺς ξυνετοὺς δ' ἄν τις πείσειε τάχιστα λέγων εὖ,
οἵπερ καὶ ῥᾴστης εἰσὶ διδασκαλίης.

Vs. 1. In edd. Athenaei Venet. et Basil. perperam omissis multis continuo tenore legebatur: *πολλοῖς δ' ἀντιλέγειν — οὐκ ἔτι τοῦτ' ἐθέλει,* ubi quae desiderantur uerba: *μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως ὀρθῶς δ' ἀντιλέγειν* primus supplevit Canter. Variar. Lect. I. c. 8. teste Schweigh. ad Athen. l. c. — Vs. 2. *τοῦτ'.* Cod. Laurent. (Athenaei) et Schweigh. edit. *τοῦτο.* Cod. Palat., Edit. princ., Casaub. — *ἐν ἔθει* pro *ἐθέλει,* quod omnes codices praebent, Casaubonus ex Stobaeo recepit. Iam uero Schweighaeuserus l. c. posse *ἐθέλει* scripturam optime explicari ostendit sic eam interpretans: *οὐκ ἔτι τοῦτο ἐθέλει ἔθος εἶναι πολλοῖς* i. e. hoc non uult (solet) multis in usu esse. Recte, nam uerbum *ἐθέλειν* apud Atticos nonnunquam idem ferme ualet atque Latinorum uerbum s o l e r e. Cf. Xenoph. Oecon. IV. 13. — *ἐπιμελεῖται τούτων* (sc. *τῶν χωρῶν*)*, ὅπως κῆποί τε ἔσονται, οἱ παράδεισοι καλούμενοι, πάντων καλῶν τε κἀγαθῶν μεστοί, ὁπόσα ἡ γῆ φύειν ἐθέλει.* Hier. I. 30. *ὁ δὲ ἔρως πολὺ αὖ ἐθέλει ἥκιστα τῷ τυράννῳ ἐγγίνεσθαι.* Herod. IX. 157. *Τῷ εὖ βουλευθέντι πρήγματι τελευτὴ ὡς τὸ ἐπίπαν χρηστὴ ἐθέλει ἐπιγίγνεσθαι.* (negotium consilio bono initum optatus fere finis consequi solet.) Pat. de Rep. VI. p. 503. *Εὐμαθεῖς καὶ μνήμονες καὶ ἀγχίνοοι καὶ ὀξεῖς καὶ ὅσα ἄλλα τούτοις ἕπεται, οἶσθ' ὅτι οὐκ ἐθέλουσιν ἅμα φύεσθαι.* (Nempe non solent homines natura simul esse docili, memori, sagaci, etc.) Cf. Bach. ad Xen. Hier. I. 30. Hindenburg ad Xen. Mem. III. 12. 8. Herm. ad Viger. p. 264. Hanc igitur scripturam non minus aptam esse quam illud *ἐν ἔθει* non erit quis neget. Tamen quae recipienda sit in dubio uidetur relinqui, quum ex eo pendeat iudicium, utrum Athenaeus meliore Eueni codice usus sit an Stobaeus. Sed ex us. 3, ubi Stobaeus pro *εἷς* inepte *ὡς* exhibet et ex us. 4, ubi Stobaeus *ἐστὶ,* Athenaei uero optimus

codex Venetus ἔστω habet, quam scripturam insuper reliqui Athenaei codices licet corruptam in τω, τως et πως praebent, et inde denique, quod Stobaeus hoc carmen omnino mutilatum tradidit, satis apparere uidetur, Athenaeum meliorem Eueni librum ad manus habuisse; quae res me permouit, ut ἐθέλει in uerborum continuitatem recipere non dubitauerim. — Vs. 4. τοῦτο. Stob. et edit Casaub. τοιαῦτα. Venet. Laurent. Palat. Edit. pr. δοκοῦντ' ἔστω. Venet. δοκοῦντες τῷ. Laurent. δοκοῦντες τως. Palat. δοκοῦντά πως. Edit. pr. δοκοῦντ' ἐστὶν. Casaub. et Stob. δὲ add. Venet. Laur. Palat. ed. Casaub., omittit Edit. pr. — Non minus uariant libri altero loco Athen. X. p. 429. F., ubi idem uersus extat. δοκοῦντ' ἐστ'. Venet. Palat. δοκοῦντες τ'. Laurent. δοκοῦντι. Paris. δοκοῦντ' ἐστὶν. Ed. pr. Casaub. — Cum hoc dicendi genere conferas: Eur. Suppl. 476. σοὶ μὲν δοκείτω ταῦτ', ἐμοὶ δὲ τἀντία Soph. Ai. 1039. κεῖνός τ' ἐκεῖνα στεργέτω, κἀγὼ τάδε, ubi schol. adnotat: ἐκεῖνα στεργέτω· τὰ ἑαυτοῦ δόγματα· γέγονε δὲ τοῦτο καὶ παροιμιακόν. Suid. s. u. Θεόπομπος· Εἰ δὲ ἄλλος νοεῖ ἑτέρως, κρατείτω τῆς ἑαυτοῦ γνώμης, ἐμὲ δὲ μὴ ἐνοχλείτω. — Similes ad formam sunt licet Imperatiuum non contineant, Theogn. 730. Wk. 14. B.

σοὶ μὲν τοῦτο, θεά, μικρόν, ἐμοὶ δὲ μέγα.

et sententia ab Aristot. Eth. Eudem. VII. 10. (ἐνδέχεται γὰρ καὶ τἀναντία γενέσθαι, ὥσπερ ἐν τῷ λόγῳ, σοὶ μὲν παιδίαν εἶναι, ἐμοὶ δὲ θάνατον.) seruata, a Welckero autem (Proleg. ad Theogn. p. LXXXI.) optime in pentametri formam redacta:

σοὶ μὲν παιδία τοῦτ', αὐτὰρ ἐμοὶ θάνατος.

Ceterum ad Aiacis l. c. Lobeckius Eueni uersum, de quo agimus, citat sic distinguens:

σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ', ἔστω ἐμοὶ δὲ τάδε

quod mihi quidem non admodum placet. — Vs. 6. ῥαιστῆς. Laurent. Palat. εἰσὶ. Edit. pr. et Casaub. εἰς. Venet. Laurent. Palat. — ῥᾷστης διδασκαλίης. Vid. Herm. ad Vig. p. 240.

5.

Charisius, clarissimus Romanorum grammaticus, ap. Rutil. Lupum (ed. Ruhnk. p. 39.) dicit: „nam maiorem partem ex illis (sc. filiis) doloris et contumeliae capimus“, quibus uerbis Ruhnkenius Charisium Eueni uersum quendam, qui in prouerbii

consuetudinem abisset, expressisse putat. Ita uero hic uersus a Plutarcho de amor. prol. p. 497. A. (Tom. VII. p. 933. ed. Reisk.) traditur:

Ἴδε, ὅση λύπη παῖς πατρὶ πάντα χρόνον.

Corruptus hic uersus corruptior extat ap. Artemidor. Oneirocr. I. 16. suppresso Eueni nomine

Ὡς υἱοὺς ἢ λύπη παῖς πατρὶ πάντα χρόνον.

Rursus alio modo idem legitur ap. Hermiam (in commentar. in Platon. Phaedr. ad p. 267. A. haec dicentem: *θαυμαστὸς δὲ ἐγένετο Εὔηνος. καὶ ἀλλαχοῦ αὐτὸν ἐπαινεῖ· ὃς καὶ τὸν ἴαμβον* [corrige *πενταμέτρον*] *τοῦτον εἶπε.* *))

Φόβος ἢ λύπη παῖς πατρὶ πάντα βίον.

Primus Rigaltio ad Artemidor. l. c. teste uersui studuit mederi Is. Casaubonus proposita scriptura

Εἶδεν ὅση λύπη παῖς πατρὶ πάντα χρόνον,

contra Iac. Tollius (Fortuit. c. 11. p. 84.) sic scriptum fuisse coniecit:

Ὡς υἱὸς ἢ λύπη πᾶς πατρὶ πάντα χρόνον,

qua emendatione in metri legis peccauit.

Supersedendum autem esse omnibus coniecturis mox patebit satis perpensa scriptura

Ἢ δέος ἢ λύπη παῖς πατρὶ πάντα χρόνον,

quam I. Gronouii indicio optimus Artemidori codex Mediceus praebet, quippe ex qua facillime explicari possit, quomodo quae apud Plutarchum extat scriptura orta sit.

6. a.

Aristoteles (Rhetor. I. 11.) hunc pentametrum citat

Πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμ' ἀνιαρὸν ἔφυ.

omisso nomine poetae, tamen ab Eueno hunc uersum esse profectum, ex eiusdem Aristot. Ethic. Eudem. II. 7, Metaphys. IV. 5. et Plutarch. non poss. suau. uiu. secund. Epic. c. 21. discimus, ubi addito poetae Eueni nomine legitur. Idem uero uersus extat in carmine quodam elegiaco, quod omnes fere

*) Ex hoc loco simul patet, ab Eueno maiore effictum uisum esse illum pentametrum Hermiae.

Theognidis editores ad Theognidem auctorem retulerunt, (uers. 1202. Wk. 472. Bk.) ita quidem, ut arctissime cum aliis uersibus coniunctus sit. At qui paullo diligentius horum uersuum nexum considerauerit memineritque, saepius singulos uersus ex totius cuiusdam carminis continuitate ab orationis pedestris scriptoribus euulsos esse, ut aliquam sententiam lectoribus adiecto clari poetae testimonio probabiliorem redderent, (id quod factum etiam uidemus, ut unum saltem exemplum afferamus, in Eueni carm. IV., utpote cuius uersus quartus ab Athenaeo X. p. 429. F. singillatim citatus sit), is etiam, credo, aegre affirmabit, pentametrum quidem istum ab Eueno, ceteros autem uersus ab alio poeta effictos esse, praecipue si mente insuper uoluerit, quae ab Vlricio (Hist. graec. poes. II. p. 448.) Welckero (Proleg. Theogn.), N. Bachio ad Solon. p. 18, aliis, de mala carminum Theognideorum conditione disputata sunt. Qui uiri docti ostenderunt, irrepsisse in horum carminum collectionem aliorum quoque poetarum poemata; iamque nouissimus Theognidis editor Welckerus Solonis, Tyrtaei, Mimnermi, et ignotorum poetarum quaedam ab illis segregauit (cf. Welck. l. c. p. LXIII. sq. CXXXVII. sq.); quare nullum fore puto, qui miretur, quod a Theognidis Eueni uersus quosdam secernendos dicimus. Quod quin recte fiat, dubium non uidebitur reputanti, Aristotele auctore (Polit. I. 3. 9.) tria disticha e Theognidis carminibus (Theogn. ed. Welck. uers. 1197 sq. ed. Bekk. 227 sq.) Soloni auctori esse restituta, atque hic quinque distichorum Eueno uindicandorum bis Aristotelem (ll. cc.) semelque insuper Plutarchum extitisse auctorem. Eueno igitur hos uersus tribuere non dubitamus:

Μηδένα τῶν δ᾽ ἀέκοντα μένειν κατέρυκε παρ᾽ ἡμῖν,
μηδὲ θύραζε κέλευ᾽ οὐκ ἐθέλοντ᾽ ἰέναι·
μήθ᾽ εὕδοντ᾽ ἐπέγειρε, Σιμωνίδη, ὅν τιν᾽ ἂν ἡμῶν
θωρηχθέντ᾽ οἴνῳ μαλθακὸς ὕπνος ἕλῃ,
μήτε τὸν ἀγρυπνέοντα κέλευ᾽ ἀέκοντα καθεύδειν·
πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρῆμ᾽ ἀνιηρὸν ἔφυ.
τῷ πίνειν δ᾽ ἐθέλοντι παρασταδὸν οἰνοχοείτω·
οὐ πάσας νύκτας γίγνεται ἁβρὰ παθεῖν.
αὐτὰρ ἐγὼ — μέτρον γὰρ ἔχω μελιηδέος οἴνου —
ὕπνου λυσικάκου μνήσομαι οἴκαδ᾽ ἰών.

At uero, quominus hi uersus Eueno adiudicentur, prohibere uidetur locus Athenaei, ubi duo ex illis uersibus cum aliis coniuncti leguntur et ad alium auctorem referuntur, quare hunc Athenaei locum, quum paullulum longioris disputationis opportunitatem daturus sit, integrum attulisse non poenitebit. Scribit enim Athenaeus l. VIII. p. 364. A. *Οἱ δὲ νῦν προςποιούμενοι θεοῖς θύειν καὶ συγκαλοῦντες ἐπὶ τὴν θυσίαν τοὺς φίλους καὶ τοὺς οἰκειοτάτους καταρῶνται μὲν τοῖς τέκνοις, λοιδοροῦνται δὲ ταῖς γυναιξὶ, καλαβρίζουσι τοὺς οἰκέτας, ἀπειλοῦσι τοῖς πολλοῖς, μονονουχὶ τὸ τοῦ Ὁμήρου λέγοντες·*

Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα

ἐπὶ νοῦν οὐ λαμβάνοντες τὰ εἰρημένα ὑπὸ τοῦ τὸν Χείρωνα πεποιηκότος εἴτε Φερεκράτης ἐστὶν εἴτε Νικόμαχος ὁ ῥυθμικὸς ἢ ὅςτις δή ποτε·

Μηδὲ σύ γ' ἄνδρα φίλον καλέσας ἐπὶ δαῖτα θάλειαν
ἄχθου ὁρῶν παρέοντα· κακὸς γὰρ ἀνὴρ τόδε ῥέζει·
ἀλλὰ μάλ' εὔκηλος τέρπου φρένα τέρπε τ' ἐκεῖνον.

νῦν δὲ τούτων μὲν οὐδὲν ὅλως μέμνηνται· τὰ δὲ ἑξῆς αὐτῶν ἐκμανθάνουσιν. ἅπερ πάντα ἐκ τῶν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένων μεγάλων Ἠοίων καὶ μεγάλων Ἔργων) παρῴδηται.*

Ἡμῶν δ' ἤν τινά τις καλέσῃ θύων ἐπὶ δεῖπνον
ἀχθόμεθ' ἢν ἔλθῃ καὶ ὑποβλέπομεν παρέοντα,
*χὤττι **) τάχιστα θύρας ἐξελθεῖν βουλόμεθ' αὐτόν.*
εἶτα γνούς πως τοῦθ' ὑποδεῖται· κᾆτά τις εἶπε
τῶν ξυμπινόντων· Ἤδη σύ; τί οὐχ ὑποπίνεις;
οὐχ ὑπολύσεις σαυτόν; ὁ δ' ἄχθεται αὐτὸς ὁ θύων
τῷ κατακωλύοντι καὶ εὐθὺς ἔλεξ' ἐλεγεῖα·
Μηδένα μήτ' ἀέκοντα μένειν κατέρυκε παρ' ἡμῖν,
μήθ' εὕδοντ' ἐπέγειρε, Σιμωνίδη, οὐ γὰρ ἐπ' οἴνοις
τοιαυτὶ λέγομεν δειπνίζοντες φίλον ἄνδρα;

ἔτι δὲ καὶ ταῦτα προςτίθεμεν· (Hesiod. op. 720.)

Μηδὲ πολυξείνου δαιτὸς δυςπέμφελον εἶναι
ἐκ κοινοῦ· πλείστη τε χάρις δαπάνη τ' ὀλιγίστη.

Tres priores uersus *Μηδὲ σύγ'* sq. ex comoedia siue Pherecratis siue Nicomachi ductos esse, Athenaei uerba docent; at

---

*) Haec tria uerba Dindorfius uncis inclusit.
**) Ita praeeunte Dindorfio scripsi.

uero reliquos decem etiam ex comoedia petitos esse extra dubitationem mihi uidetur positum. Sunt quidem, qui eos ex Hesiodi carmine, ὑποθήκαις Χείρωνος allatos opinentur, sed hos quantopere errasse iudicem uix queo dicere. Quorum a parte Schulzius est, qui in commentatione Museo Rhenano (1837. V. fasc. 4. p. 600. sq.) inspersa, uel tres priores uersus Hesiodios et ex ὑποθήκαις Χείρωνος mutuatos dicit. Non uidit autem, fabulam, ex qua ductos Athenaeus eos affirmauit, Chironis nomine inscriptam, Hesiodi uero carmen nunquam Chironis, sed potius ex argumenti indole (Χείρωνος) ὑποθηκῶν uel παραινέσεων nomine indicatum fuisse, ita quidem, ut uel Chironis interdum omissum sit. Sic Hesiodi ὑποθῆκαι omisso Χείρωνος genitiuo citantur ap. Phryn. p. 91. ed. Lobk. Bachm. Anecd. II. 385. Quintil. Inst. Orat. I. 1. 15. Quod uero ad decem illos uersus attinet, iterum Athenaei uerba tam plana sunt, ut machinis fere artibusque uti coacti sint, qui ad Hesiodum eos relatos malunt. Tanta tamen fuit Schulzii temeritas, ut p. 608. decem illos uersus Eoearum fragmentum esse affirmarat, ex quo ὑποθηκῶν uersus (indicati ii uerbis τὰ δὲ ἑξῆς sq.) expressi sint. Sed quis quaeso est, qui sibi persuadeat, in Chironis cohortationibus aliquot Eoearum uersus per parodiam expressos fuisse? Quis Hesiodum alicuius parodiae auctorem dicat? Sed neglexit Schulzius primum ueram uerbi παρῳδεῖν significationem, deinde prorsus perperam intellexit ipsam Athenaei sententiam. Reprehendit uero Athenaeus aequales propter inhospitalitatem et malam conuiuarum tractandorum rationem dicitque eos memoria non tenere uersus in Chirone comoedia prolatos, sed his siue Pherecratis siue Nicomachi *) uersibus prorsus neglectis ea discere consuesse uerba, quae istos tres (superiores) uersus sequantur (τὰ δὲ ἑξῆς αὐτῶν) quaeque omnia ad Hesiodiorum quorundam uersuum imitationem effecta sint. Dein addit Athenaeus decem illos uersus, qui quin ex eadem comoedia ducti sint iam nunc propter uerba τὰ δὲ ἑξῆς αὐτῶν, praecipue propter genitiuum αὐτῶν, quem non posse nisi ad tres superiores uersus referri

*) Vtri Chiron comoedia tribuenda sit, infra uidebimus.

apertum est, dubium cuique fore nego. *) Quibus exploratis ipse insuper horum uersuum habitus atque natura docet, uehementer falsos esse, qui eos Hesiodo assignari iusserint. Quis enim tales formas et numeros, quales hic uersibus continentur, in epicis carminibus inuenerit?

Χὤττι τάχιστα θύρας ἐξελθεῖν βουλόμεθ᾽ αὐτόν.
εἶτα γνούς πως τοῦτ᾽ ὑποδεῖται· κᾆτά τις εἶπε
τῶν ξυμπινόντων· Ἤδη σύ, τί οὐχ ὑποπίνεις;

Vellem Schulzius unum saltem exemplum ex epico poeta attulisset, in quo crases, quales *χὤττι* et *κᾆτα*, formaeque quales *τοιαυτὶ* (uers. 10.) inuenirentur, uel alicuius oratio in medio uersu inciperet. Quid porro de uerbis *καὶ εὐθὺς ἔλεξ᾽ ἐλεγεῖα* sequentibusque statuamus? Vsus est poeta uoce *ἐλεγείων*, uerum tamen tantummodo hexametri sequuntur. Integra autem habemus haec *ἐλεγεῖα* (disticha), quae supra ex Theognide allata Eueni esse diximus. Luculenter ex uoce „*ἐλεγεῖα*“ patet, comicum poetam Eueni uersus ante oculos habuisse, pentametros uero omisisse, quia et uniuersam orationem ex solis hexametris composuisset et omnino pentametris uti non solerent poetae scenici.**) Quare si illi uersus Hesiodii essent, statuere cogeremur, Hesiodum uersus quosdam aliunde ductos in usum suum conuertisse, quod sane in epico poeta inauditum esset. Quod quum Schulzius sensisset neque tamen tanquam furti Hesiodum insimulare uoluisset, ex Theognidis uersibus (nam disticha illa Eueni esse nesciuit) Magnas Eoeas interpolatas et ex hac corrupta genealogici carminis forma *Χείρωνος ὑποθήκας* expressas esse coniecit, quam coniecturam satis est commemorasse.

---

*) A parte mea stantem etiam conspicio Welckerum ad Theogn. 1197. p. 140. — Magna autem uis quoque posita est ap. Athen. in uoce *πάντα*, quippe quae ab Athenaeo aperte adiecta sit, ut non modo decem sequentes, sed etiam tres priores uersus ex Hesiodi carmine quodam per parodiam expressos esse indicaret.

**) Vnum tantum distichorum in scenica poesi adhibitorum exemplum extat in Eurip. Androm. 123 sq. Hexametros uero nec tragicis nec comicis poetis inusitatos fuisse exempla apud Soph. et Aristoph. docent extantia. — Cf. p. 30. adnot. 1.

Sed iam iis, quae disputauimus, id effecisse putamus ut dubitationi non amplius obnoxium sit futurum, quin et tres priores et decem posteriores uersus ex Chirone comoedia petiti et ad similitudinem Hesiodiorum quorundam uersuum effecti sint. Quae quidem fabula sine dubio Chironis nomine propterea inscripta fuit, quod in ea poeta, ut Chiron olim Achilli,*) ipsius aequalibus multa praecipiebat; nam Chironis nomen apud ueteres in prouerbii usum abisse et omnino praeceptorem significasse uidetur, **) uelut a Romanis post Augustum paene quisque artium fautor studiorumque patronus Maecenas dictus est. (cf. Martial. VIII. 56.) Inter praecepta uero, quae poeta comicus aequalibus proponenda censuit, fuerunt etiam monita de emendanda tractandorum conuiuarum ratione; quare quum ea de re Euenus quoque cecinisset, non dubitauit Pherecrates uel quicunque Chironem scripsit huius uerba in usum suum conuertere, quod saepissime a poetis comicis factum esse neminem fugit. ***)

---

*) Suid. s. v. *Χείρων· Κένταυρος, ὃς πρῶτος ἐξεῦρεν ἰατρικὴν διὰ βοτάνων. ὑποθήκας δι' ἐπῶν, ἃς ποιεῖται πρὸς Ἀχιλλέα.* cf. Heinrich. demonstr. loc. Plat. e Prot. p. 23.

**) Sic cum Plato comicus ap. Plut. uit. Pericl. c. 4. faciat quaerentem aliquem ex Damone musico:

Πρῶτον μὲν οὖν μοι λέξον, ἀντιβολῶ· σὺ γὰρ
ὥς φασιν, ὦ Χείρων, ἐξέθρεψας Περικλέα;

musicae doctorem significari patet.

***) Multa de difficillimo isto Athenaei loco disputanda supersunt, maxime de uerbis: *ἅπερ πάντα ἐκ τῶν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένων μεγάλων Ἠοιῶν καὶ μεγάλων Ἔργων παρῴδηται*; sed quum ad Euenum nihil faciat scire, quo in Hesiodi carmine lecti sint, quos irriserit poeta comicus uersus, finem nostrae de Athenaei uerbis disputationi imposuimus. Tamen ne prorsus *ἀσύμβολος* abisse uidear, quae sentio dicam. Mihi enim, quamquam corruptelam, quae aperte Athenaei uerbis inest, explicare non possum, si quid ex nomine fabulae argumentoque Hesiodii carminis, quod *ὑποθῆκαι Χείρωνος* inscriptum fuit, colligi potest, Pherecrates uel quicunque Chironem finxit, in hoc fabula *ὑποθήκας Χείρωνος* per parodiam lusisse uidetur. Nam cum Hesiodii carminis titulus (*ὑποθῆκαι* uel *παραινέσεις*) tum locus schol. Pind. Pyth. VI. 16. docent, Chironem ab Hesiodo fictum esse Achillem instituentem; supra autem uidimus, poetam etiam in Chirone comoedia aequalibus multa praecepisse, quid igitur ueri est similius, quam comicum in dedocendis sui aeui

Quaerendum autem nunc est, primum cui assignandi sit Chiro comoedia, nam fluctuantem uidemus Athenaeum inter Pherecratem et Nicomachum; deinde, si forte Nicomacho tribuenda est, quo tempore is uixerit. Plura de Chirone fabula scripsit uir ingeniosissimus, A. Meinekius, in Comment. Miscell. fasc. 1. c. 1. (Halis 1822). Primum refutauit V. D. Heinrichii sententiam, qui (Demonstr. loc. Plat. e Protag.) Pherecratis Agrios et Chironem unam fabulam fuisse dixerat; deinde ab ipsa Athenaei uerborum interpretatione proficiscitur. In quibus explicandis putat (p. 7.) uerba *ἢ ὅςτις δή ποτε* non ad remotiora illa *εἴτε Φερεκράτης ἐστὶν εἴτε Νικόμαχος*, sed ad proxime antecedentia *ὁ ῥυθμικὸς* pertinere, ut Athenaeus dixerit: „alios Chironem Pherecrati, alios Nicomacho tribuisse, siue is ὁ ῥυθμικὸς fuerit an alius quidam.“ Qua in re non possum, quin uiro doctissimo assentiar; nam etsi non rarum omnino apud Athenaeum illud dicendi genus est, uelut Ath. VII. p. 277. D. *ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας εἴτ' Εὔμηλός ἐστιν ὁ Κορίνθιος ἢ Ἀρκτῖνος ἢ ὅςτις δή ποτε χαίρει ὀνομαζόμενος*. VIII. p. 334. B. *ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας ἔπη, εἴτε Κύπριός τίς ἐστιν ἢ Στασῖνος ἢ ὅςτις δή ποτε χαίρει ὀνομαζόμενος*, tamen hic locus aliter comparatus est. Primum enim non erat tertius poeta, cui ab aliquo Chiro comoedia assignata esset, deinde hoc est mirabile, quod ille Nicomachus *ὁ ῥυθμικός* dictus est. Nam non memini, comicum poetam alicubi rhythmicum appellari. Verum igitur uidetur, quod Meinekius l. c. p. 8. dicit, ab Eratosthene, qui lib. VII. de antiqua comoedia Pherecrati *Μεταλλεῖς*, fabulam, detrahi et Nicomacho tribui uoluit *), etiam Chironem et Pherecrati

---

hominibus Hesiodios quosdam uersus in usum suum conuertisse. Quod eo probabilius uidebitur, quo saepius factum esse scimus, ut poetae comici Homeri et Hesiodi uersus per parodiam exprimerent. Ita Hesiodi *ὑποθήκας Χείρωνος* item irrisas uidemus ab Aristoph. Daetal. (fgt. 28. ed. Dindf.) ap. Phryn. p. 91. „*ἠπήσασθαι ἅπαξ παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Δαιταλεῦσι, παίζοντι τὰς Ἡσιόδου ὑποθήκας* „*καὶ κόσκινον ἠπήσασθαι.*“ Homeri Odysseam ad risum iocumque detortam accepimus a Cratino in fabula, cui nomen *Ὀδυσσεῖς* fuit.

*) Harpocr. s. uoc. *Μεταλλεῖς· ἔστι δὲ καὶ δρᾶμα Φερεκράτους, Μεταλλεῖς, ὅπερ Νικόμαχόν φησι πεποιηκέναι Ἐρατοσθένης ἐν ἑβδόμῳ περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας.*

abiudicatam esse. Hic autem Nicomachus, ut idem Meinekius Quaest. Scen. II. p. 33. dicit, Aristoxeni musici tempore uixisse et nouae comoediae poeta fuisse uidetur*). Eratosthenem autem, quin Chironem Pherecrati detrahens Athenaeus secutus sit auctorem, extra dubitationem propterea uidetur positum, quod etiam *Μεταλλεῖς* comoediam, quam Pherecrati abiudicatam ab Eratosthene uidimus, l. XV. p. 685. A., huic derogat et Nicomacho uindicat. Quae coniectura inde etiam maximam probabilitatem fert, quod Eratosthenes summae auctoritatis erat et peculiarem de comoedia librum scripserat, quem Athenaeus ipse l. XI. p. 501. D. citauit. Quae quum ita sint, Athenaeus uerbis *εἴτε Φερ. εἴτε Νικομ.* sq. non indicauit, se praeter Pherecratem uel Nicomachum Chironem alii tertio poetae tribuere, sed haud dubie Nicomachum, nouae comoediae poetam, ignorauit et de Musico, quamquam is longe post Eratosthenem uixit **), omnium Nicomachorum fere clarissimo cogitauit fortasse multo uetustiorem eum putans. ***) Deinde tamen ipsi nonnulla dubitatio exorta esse uidetur: quam ob rem, quum non satis exploratum haberet, quem Nicomachum Erostathenes dixisset, simulque plures fuisse Nicomachos ****) meminisset, addit uerba *ἢ ὅςτις δή ποτε*, quibus

*) Hanc sententiam fabularum Nicomachi qui citantur tituli *Εἰλείθυια* (Athen. VII. p. 290. F.) *Ναυμαχία* (Stob. Serm. XXXVIII. p. 149.) et quae supersunt fragmenta (cf. Athen. VII. p. 290. F. II. 58. A. XI. 781. A.) confirmare uidentur.

**) Fuerunt, qui hunc Nicomachum uel Platone antiquiorem iudicarent. cf. Meibom. praef. ad Nicom.; sed uixit, id quod inde consequitur, quod Nicomachus Harm. l. II. p. 36. Claudium Ptolomaeum citauit, post Christum demum natum.

***) Non uideo enim, quid adiectiuum *ῥυθμικὸς* ad poetae comici nomen adscriptum ualuerit. *Ῥυθμικός* is est, qui de rhythmo scripsit; *ἡ ῥυθμικὴ* uero secundum Aristoxenum eius scientiae pars est, quae de harmonia agit. Qui igitur de harmoniae naturae scribebant, etiam de rhythmo uerba facere coacti erant: ita Aristoxenus de harmonia et de rhythmo scripsit saepiusque *ὁ ῥυθμικός* dictus est; et ueri est simillimum, Nicomachum, ut de harmonia, ita pariter de rhythmo scripsisse ideoque rhythmicum appellatum esse.

****) Nicomachos mirum in modum miscuit Suidas s. h. u., de cujus errore uid. Meinek. l. c. p. 8. Praeter Musicum tredecim alios commemorat Fabric. Bibl. Gr. T. V. p. 631. Harl.

Chironem aut a Pherecrate aut a Nicomacho siue musico siue alio eiusdem nominis profectam esse significaret.

Quam fabulam tametsi Pherecratearum numero eximendam Eratosthenes iudicauit, tamen nos, nam Meinekius rem in ambiguo reliquit, Pherecrati seruandam putamus. Nam praeter Athenaeum, qui quattuor locis (VIII. p. 364. A. IX. p. 368. A. p. 388 F. XIV. p. 653. E.) et Schol. Aristoph. Ran. 1343 nemo de auctore dubitauit; imo Stobaeus serm. CXVII. p. 474. ed. Grot. Etymol. Magn. c. 167. 43. Schol. Platon. p. 371. Harpocrat. s. u. ἄττα (p. 32.) Philemon. p. 16. et Nicomach. Mus. Enchir. II. p. 35. ed. Meibom. huius fabulae nullum nisi Pherecratem auctorem sciunt. Accedunt Chironis comoediae fragmenta, quae eam Pherecratis tempore scriptam esse arguunt; maxime longum illud fragmentum, quod Plut. de Mus. p. 1141. memoriae tradidit sententiam nostram confirmat, nam uim habere tantummodo poterat tempore, quo poetae ut Cinesias, Timotheus, alii, qui in eo perstringuntur, adhuc uiuebant. Illud enim potissimum antiquae comoediae proprium est, ut iis tantum temporibus, quibus scripta est, accommodata sit. Tunc autem, cum Pherecrates comoedias fingebat, tantum erat in arte musica nouandi studium, ut cum omnes poetae comici de musica pessum data quererentur nouatoresque acerbissime notarent, tum praecipue Pherecrates non modo in Chirone, sed etiam in Agriis et Automolis propterea clamaret.

Pherecrates igitur Chironis auctor fuit *) idemque Eueni uersus in usum suum conuertit **); sed ut sciamus, utrum maioris an minoris Parii, quaerendum est, quo anno Chiro fabula acta uideatur. Ac fortuna secunda euenit, ut in fragmento, quod supra tetigimus, Chironis apud Plut. l. c. seruato (uers. 19. 21.) Timotheus commemoratus sit, quem Olymp.

*) Cf. Welcker. Proleg. ad Theogn. p. LXXXIII. „Certe Pherecrates in Chirone, de qua comoedia nuper acute disputauit A. Meineke in Comment. Miscell. fasc. I. c. 1, gnomologum ueterem in scenam produxerat, dactylico, quod res ferebat, metro suo more praecipientem, et quidem ea, quae ad conuiuia pertinerent.“

**) Runkelius igitur, qui Pherecratis fragmenta collegit, decem illos uersus p. 58, ubi tres priores exhibuit, adiicere debebat.

LXXXIII, 3. Mileti ortum, Athenis autem mortuum plus nonaginta annos natum scimus. *) Neminem autem fugiunt, quae de eo ueteres tradiderunt, nempe eum cum Crexo et Philoxeno magno opere in arte musica nouasse eamque prorsus corrupisse.**) Quam ob rem uehementer a comicis eius aetatis poetis reprehensus est, maxime a Pherecrate, qui quos Plutarchus ex Chirone tradidit uersus contra eum potissimum scripsisse uidetur. Iam uero habemus, unde cum aliqua probabilitate, quo tempore scripta sit Chiro fabula, concludere poterimus. Parum enim ueri est simile, Timotheum iam iuuenem inclaruisse et musicam uno tanquam ictu atque una mutatione deprauasse; quare, quum sub finem Ol. LXXXIII. 3. natus sit et ad summam senectutem peruenerit, eum circa Ol. XCIII demum gloriam adeptum esse putamus. Qua in re probabiliter a nobis disputatum esse, patet etiam ex narratiuncula a Plutarcho (An seni ger. sit resp. p. 795. D.) prodita. Ibi enim Timotheum initio Atheniensibus displicuisse et irrisum, Euripidem uero eum his uerbis consolatum esse legimus: „noli desperare, Timotheus, mox enim theatri dominus eris.“ Perstringi igitur demum poterat, cum Atheniensibus probari coepisset et inuenisset, qui eum imitarentur. Huc accedit, quod Aristophanes, quamuis in Ranis (Ol. XCIII. 3. acta) plures, qui poesim musicamque pessum dederant, ut Philoxenum, Cinesiam, alios, acriter irriserit, nullam tamen Timothei mentionem fecit. Quae quum ita sint, recte Timotheum ante Ol. XCIV. non esse famam gloriamque consecutum dixisse uidemur. Atque inde facile intelligitur, Chironem fabulam non

---

*) Marm. Par. Epoch. 77. p. 173. Suid. s. u. *Τιμόθεος.* Steph. Byz. u. *Μίλητος.*

**) Pausan. III. 12. 8. Plut. Lacon. Instit. p. 283. C. Agis. c. 10. Cic. de Legg. II. 15. Plut. de Mus. p. 1135. C. D. 1141. C. sq. Athen. XIV. p. 636. E. *Ἀρτέμων ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Διονυσιακοῦ συστήματος Τιμόθεόν φησι τὸν Μιλήσιον παρὰ τοῖς πολλοῖς δόξαι πολυχορδοτέρῳ συστήματι χρήσασθαι τῇ μαγάδι· διὸ καὶ παρὰ τοῖς Λάκωσιν εὐθυνόμενον, ὡς παραφθείροι τὴν ἀρχαίαν μουσικὴν καὶ μέλλοντός τινος ἐκτέμνειν αὐτοῦ τὰς περιττὰς τῶν χορδῶν, δεῖξαι παρ' αὐτοῖς ὑπάρχοντα Ἀπολλωνίσκον πρὸς τὴν αὐτοῦ σύνταξιν ἰσόχορδον λύραν ἔχοντα, καὶ ἀφεθῆναι.*

posse ante Ol. XCIV. scriptam esse. Sed si Ol. XCIV uel XCV. demum Chiro ficta est, sponte apparet, fragmentum de quo agimus tribui Eueno minori non posse, quippe quem hoc tempore uix natum fuisse supra uiderimus. Sed Euenum maiorem auctorem alia quoque res prodit. Nullum enim poesis genus in tota antiquitate tantopere a poetis comicis in ipsorum usum conuersum et tam saepe per parodiam irrisum uidemus, quam gnomica carmina, cuius rei caussam docte exposuit Welck. Proleg. ad Theogn. p. LXXX. Hunc Euenum autem poemata gnomarum instar finxisse, § 5. haud improbabile nobis uisum est.

Iam uero unde deflexit oratio nostra ad Eueni uersus reuertimur. Qui decimum uersum *ὕπνον κ. τ. λ.* apud Theognidem sequuntur uersus Eueno non possunt adiudicari, utpote quos Athenaeus (X. p. 428. C. D.) adiecto Theognidis nomine citet. Verum Eueno, etiamsi certum Athenaei testimonium non extaret, eos assignare nollem, quia qualis inter postremum distichon et uerba sequentia: *Δείξω δ' ὡς οἶνος χαριέστατος ἀνδρὶ πεπόσθαι κ. τ. λ.* intercedat cogitationum uinclum difficile est ad intelligendum; quos igitur Bekkerus non recte cum antecedentibus coniunxit, recte uero Welckerus disiunxit. Contrarium antea uidemus factum, ubi Bekkerus distichon *αὐτὰρ ἐγὼ* sq. cum iis, quae praecedunt, connexuit, Welckerus autem secernendum putauit. Non recte; nam optime omnia inter se cohaerent. Dicit poeta: „ne, si quem uino plenum somnus capit, dormientem excites, caue, nec somnum uitantem dormire iubeas, nam molestum est, quod iussu facimus; sed bibere uolenti poculum uino impletum pincerna porrigat, quum non omnes per noctes ut bene iucundeque uiuere possis contingat, quamuis, quod ad me attinet, si quidem melliti uini, quem in bibendo tenere consueui modum bibi, ego (non per noctes bibere uelim, sed) domum rediens somni omnibus curis leuantis memor sum.“ — Quos uersus si cum sequente Eueni carmine, quod a uerbis

Βάκχου μέτρον ἄριστον, ὃ μὴ πολὺ μηδ' ἐλάχιστον,
ἔστι γὰρ ἢ λύπης αἴτιος ἢ μανίης.

incipit, confero, non possum, quin mihi persuadeam, hoc et illud, quod supra exhibui, unum carmen idemque ad Simo-

nidem quendam*) scriptum fuisse. Nam quod dicit Euenus: *αὐτὰρ ἐγὼ μέτρον γὰρ ἔχω μελιηδέος οἴνου*, aperte eget explicatione, quae in uerbis *Βάκχου μέτρον ἄριστον* sq. adiicitur. Fingit Euenus et recte quidem Simonidem nescientem, quando tandem *μέτρον οἴνου* sibi bibisse uideatur; quod ut cognoscat Simonides, illud *Βάκχου μέτρον* optimum sibi uideri dicit, si nec nimium nec parum biberit. Sic habemus carmen ex sedecim uersibus constans iisque optime inter se connexis. Ex eodem carmine ad Simonidem scripto petiti fortasse sunt uersus (licet non hac parte inserendi), qui apud Theognidem (uers. 1205. sq. ed. Welck. 667. Bk.) leguntur a Welckero inter incertas gnomas exhibiti:

Εἰ μὲν χρήματ' ἔχοιμι, Σιμωνίδη, οἷά περ ᾔδειν,
οὐκ ἂν ἀνιῴμην τοῖς ἀγαθοῖσι συνών.

De uersibus qui sequuntur

νῦν δέ με γιγνώσκοντα παρέρχεται, εἰμὶ δ' ἄφωνος
χρησμοσύνῃ, πολλῶν γνούς περ ἄμεινον ἔτι.

dubito num huc referri queant. Ad eos Welckerus haec adnotat: „hoc distichon ex Theognide 649 annexum est, ubi legitur

πολλά με καὶ συνιέντα παρέρχεται· ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης
σιγῶ, γιγνώσκων ἡμετέρην δύναμιν.

Sed qui hic illud agglutinauit, quo iunctura fieret arctior et iusta existeret oppositio, de suo intulit *νῦν δέ;* unde, dum subiectum, quod dicimus, uerbo deest, hiulca euasit oratio."

Sed ut ipsum Eueni carmen accedamus, codd. Laurent. et Palat. (Athenaei ap. Dindf.) uers. 1. exhibent *ἄκοντα* pro *ἀέκοντα*, et Laur. *κατερύκειν* pro *κατέρυκε*. — Vs. 3. *ὅντιν' ἂν*) *ἂν* uulgo deest, Bekkerus addidit ex codice Mutinensi (Theognidis). — Vs. 4. Cod. Hamburg. (Theognidis) praebet *θωρυχθέντ'* pro *θωρηχθέντ'*. *θωρήσσεσθαι* et adiecta et omissa uoce *οἴνῳ* significat: uini plenum, ebrium esse"; sic Theogn. 1009 (ed. W. 413. Bk.) 1054 (W. 884. Bk.) 1136 (W. 508. Bk.) e. a. cf. Aristoph. Acharn. 1136. — Vs. 5. *μήτε* hic et uers. 3. pro uulg. *μηδὲ* correxit Bekkerus, quae correctio loco Chironis supra exhibito confirmatur. — Vs. 6. Quod in codd. Theogni-

*) De quo conferas quae § 5 disputauimus.

dis *χρῆμα*, in Eueni uero ap. Aristot. et Plat. uersu singillatim citato *πρᾶγμα* legitur, scrupulum non iniiciet ei, qui ueteres citasse uersus ex memoria considerauerit. Sunt uero *χρῆμα*, et *πρᾶγμα* simillimae inter se notiones, ut facillime scriptor hunc uersum in usum suum conuertens haec duo uerba commutare potuerit. — *Ἀνιαρὸν*) *ἀνιαρός*, *ἀνιάω*, *ἀνιάζω* secundam plerumque producunt, ut in his:

Panyas. ap. Athen. II. p. 37.

πάσας δ' ἐκ κραδίης ἀνδρῶν ἀλαπάζει ἀνίας

ubi tamen Dindorfius ex codd. scripsit: *ἀνίας ἀνδρῶν ἀλαπάζει.*

Soph. Ant. 316.

οὐκ οἶσθα καὶ νῦν ὡς ἀνιαρῶς λέγεις.

Ibid. 319.

ὁ δρῶν σ' ἀνιᾷ τὰς φρένας, τὰ δ' ὦτ' ἐγώ.

Rufin. (Anthol. Pal. V. 72.)

Τοῦτο βίος, τοῦτ' αὐτό· τρυφὴ βίος· ἔῤῥετ' ἀνίαι

ubi corrigendum *ἀνῖαι*.

Philet. ap. Stob. Flor. CIV. 12. p. 558. (ed. Bach. p. 37.)

ἀμφὶ δέ τοι νέαι αἰὲν ἀνίαι (ἀνῖαι) τετρήχασιν.

Asclepiad. (Anth. Pal. V. 159.)

Κύπρις, ἀνιηρὸν δ' ἐκ πυρὸς ἧκε βέλος.

Cf. Soph. Ant. 546. Ai. 259. 266. 972. 974. 984. 1117. Phil. 894. 901. 1102. Nonnunquam uero etiam corripiunt, uelut in uers. Hermesianact. ap. Athen. XIII. p. 599. B. (ed. Bach. ue. 92. p. 174.)

ψυχῆς κουφοτέρας ἐξεπόνησ' ἀνίας.

Theogn. 780. (W. 344. Bk.)

εὑροίμην, δοίης δ' ἀντ' ἀνιῶν ἀνίας.

Ibid. 798. (W. 872. Bk.)

τοῖς δ' ἐχθροῖς ἀνίη καὶ μέγα πῆμ' ἔσομαι.

Ibid. 800. (W. 812. Bk.)

τῶν δ' ἄλλων πάντων, Κύρν', ἀνιηρότατον.

Cf. Theogn. 374. (W. 124. Bk.), 1118. (W. 1356. Bk.), Pind. Nem. I. 81.

Eurip. Phoen. 1334.

τοὔνομα λαβὼν γενναῖον, ἀνιαρὸν δ' ἐμοί.

Verbum *ἀνιῶ* ap. Aristoph. penultimam ter corripit, semel producit (Equ. 348). Corripitur etiam ap. Antiphane ap.

Stob. CXIV. p. 585, 36. CXX. p. 609, 21. (475. 501. Grot.) — Cf. Etym. Magn. p. 110, 9. Gramm. de pros. p. 445. Herm. Ruhnk. epist. crit. II. p. 276. Pors. ad Eurip. Phoen. 1334. — Vs. 7: *παραστadὸν οἰνοχοείτω*) astando quis misceat. Vinet. *ὁ οἰνοχόος*. Camerar. Recte. Satis uulgaris Graecis est haec dictio neque ad eiusmodi Imperatiuos *τίς*, sed illud subiectum cogitatione addendum est, cuius omino est facere, id quod uerbo, cuius Imperatiuo utimur, requiritur. Hoc loco igitur subaudiendus est pincerna. Cf. Xen. Conuiu. c. II. 21. *ἄγε δή, ἔφη ὁ Φίλιππος, καὶ ἐμοὶ αὐλησάτω* (sc. a tibicina), *ἵνα καὶ ἐγὼ ὀρχήσωμαι*. — Brunckio hic oborta erat suspicio, aduerbium *παρασταδὸν* suppositum esse a pudico quodam ludi magistro, scripsisse uero poetam:

τῷ πίνειν δ' ἐθέλοντι καλὸς παῖς οἰνοχοείτω·

quod firmari dicit sequente *ἁβρὰ παθεῖν*. Quam Brunckii coniecturam satis est uerbo tetigisse, quum praeter eum neminem fore censeam, qui huic uersui impudici quidquam infuisse suspicetur. Imo si uocem *οἰνοχόος* cogitatione adiicimus, non modo illud *παρασταδὸν* habet, quo excusetur, sed quo uel requiratur. Nam pincerna ad mensam adstet necesse est, ut sine mora poculum, quod aliquis ebibit, denuo uino impleat. — Vs. 8. *ἁβρὰ παθεῖν*) Quod quo modo intelligendum sit facile ex his Solonis (ap. Plut. uit. Solon. init. p. 79. C. seruatis) uulgo autem Theognidi (cf. Theogn. 1185. W. 719. Bk.) subiectis uersibus intelligitur:

Ἰσόν τοι πλουτεῦσιν, ὅτῳ πολὺς ἄργυρός ἐστιν
καὶ χρυσός, καὶ γῆς πυροφόρου πεδία,
ἵπποι θ' ἡμιονοί τε, καὶ ᾧ τὰ δέοντα πάρεστιν,
γαστρί τε καὶ πλευραῖς καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν
παιδός τ' ἠδὲ γυναικός. κ. τ. λ.

quos sic expressit Horat. Epist. I. 12, 5.

Si uentri bene, si lateri pedibusque tuis, nil
Diuitiae poterunt regales addere maius.

Similis est dictio *ἁβρὰ γελᾶν* ap. Anacr. V. 5. VI. 3. Ceterum conferas de uoce *ἁβρός* schol. Eurip. Med. 1154. Markland. ad Eurip. Suppl. 860. Matth. ad eund. l. — Vs. 9. *γάρ* omittit Vatic. — Sententiae caussa conferas plaeclarum Panyasidis

fragmentum, quod ad sequens Eueni carmen adscripsi et Athen. II. p. 37. Anacr. 67.

6. b.

Legitur in cod. Palat. (Anthologiae Gr.) p. 413. cum lemmate: *Εὐινου* (sic). Receptum inde a Brunck. in Gnom. Gr. I. p. 166. n. 15. Anal. I. 1. p. 327. Iacobs. Anth. Pal. XI. 49.

Βάκχου μέτρον ἄριστον, ὃ μὴ πολὺ μηδ' ἐλάχιστον,
ἔστι γὰρ ἢ λύπης αἴτιος ἢ μανίης.
Χαίρει κιρνάμενος δὲ τρισὶν Νύμφαισι τέταρτος,
τῆμος καὶ θαλάμοις ἐστὶν ἑτοιμότατος.
εἰ δὲ πολὺς πνεύσειεν, ἀπέστραπται μὲν Ἔρωτας,
βαπτίζει δ' ὕπνῳ, γείτονι τῷ θανάτου.

Quorum uersuum impetrare a me non possum, quin uenustam Hug. Grotii uersionem afferam.

Lenaei modus est inter nimiumque parumque
Optimus, hinc moeror nam uenit, inde furor.
Nempe tribus Nymphis quartus cupit ipse iugari,
Tunc etiam thalamis aptior ille uenit.
At nimius cum spirat, amor fugit: ipse sopore
Hos mergit, sopor hic quid nisi mors alia est?

Ex singulorum uersuum homoeoteleutis „*ἄριστον, ἐλάχιστον, λύπης, μανίης*“, Weberus (Poet. Eleg. II. p. 633.) posse putat colligi, ab sophista profectum esse hoc carmen, et propterea Eueno maiori tribuendum; sed quamuis etiam nos ab hoc Eueno fictum dixerimus, tamen non inde petenda uidetur nobis caussa. Etenim huius homoeoteleti apud omnes elegiarum poetas cum in hexametris tum in pentametris reperiuntur exempla, uelut in:

Theogn. 87. (W. 29. Bk.)

Πέπνυσο, μηδ' αἰσχροῖσιν ἐπ' ἔργμασι μηδ' ἀδίκοισιν.

Ibid. 537. (W. 443. Bk.)

δειλὸς δ' οὔτε κακοῖσιν ἐπίσταται οὔτ' ἀγαθοῖσιν.

Simonid. Ce. ed. Schneidew, p. 150.

πλείστων δὴ τόξων τε καὶ ὠκυπόδων σθένος ἵππων.

Solon. fgt. 4. uers. 7.

μύρμηκός τ' ἄφενος, χρήματα μαιόμενος.

Ibid. uers. 9. (eh! quattuor homoeoteleuta)

οὐ δαπάναις τρυφεραῖς, ἀλλ' ἀρεταῖς ὁσίαις.

Theogn. 342. (W. 958. Bk.)

χρῄζων ἡμετέρους αὖτις ἵκοιο δόμους.

Ibid. 562. (W. 320. Bk.)

τολμᾷ δ' ἔν τ' ἀγαθοῖς κείμενος ἔν τε κακοῖς.

Simonid. Ce. ad Schneidew. p. 154.

ἤψαμεν ἀργαλέης μνήματα ναυμαχίης.

Ibid. p. 187.

Κλεομβρότου, ἀρχαίας Ἡρακλέος γενεᾶς.

Philet. Co. fgt. 2. ed. Bach. p. 26.

Καὶ γάρ τις, μελέοιο κορεσσάμενος κλαυθμοῖο,
Κήδεα δειλαίων εἷλεν ἀπὸ πραπίδων.

tamen qui hos poetas fuisse affirmaret sophistas, adhuc extitit nullus. Iam uero supra monuimus, non debere hoc carmen ab antecedente auelli, unde sequitur, id ad eundem auctorem i. e. Euenum maiorem referendum esse. — Vs. 1. Sententiae caussa dignus est, qui conferatur et ex parte certe afferatur locus Panyasidis ap. Athen. II. p. 36. D.

ἔνθα τε κάλλιστος πότος ἀνδράσι γίγνεται οἴνου,
εἴ τις μὲν πίνοι καὶ ἀπότροπος οἴκαδ' ἀπέλθοι
δαιτὸς ἀπὸ γλυκερῆς, οὐκ ἄν ποτε πήματι κύρσαι·
ἀλλ' ὅτε τις μοίρης τριτάτης πρὸς μέτρον ἐλαύνοι,
πίνων ἀβλεμέως, τότε δ' ὕβριος αἶσα καὶ ἄτης
γίγνεται ἀργαλέα, κακὰ δ' ἀνθρώποισιν ὀπάζει.
ἀλλὰ πέπον, μέτρον γὰρ ἔχεις γλυκεροῖο ποτοῖο,
στεῖχε παρὰ μνηστὴν ἄλοχον, κοίμιζε δ' ἑταίρους·
δείδια γὰρ τριτάτης μοίρης μελιηδέος οἴνου
πινόμενος, μή σ' ὕβρις ἐνὶ φρεσὶ θυμὸν ἀέρσῃ,
ἐσθλοῖσι ξενίοισι κακὴν ἐπιθεῖσα τελευτήν.

Apparet Euenum, quum suum ad Simonidem carmen scriberet, hos uersus ante oculos uel in mente habuisse, qua re confirmatur, quod eum antea non clarum poetam fuisse diximus. — Cf. Horat. Od. III. 21, 1-4. — Vs. 3. *Χαίρει κιρνάμενος δὲ τρισὶν Νύμφαισι τέταρτος*). Sic Palat. *Χαίρει κιρν. τρισὶ νύμφαις τέτρατος αὐτός.* Planud. Brunck. Iacobsium offendit in scriptura Palatini sedes particulae aduersatiuae, quare

scribi iussit: *χαίρει δὲ τρισὶ κιρνάμενος Νύμφαισι τέταρτος;* sed particula *δὲ* ad *κιρνάμενος* nobis pertinere eiusque sedes nihil offensionis habere uidetur. Cf. uers. 7. antecedentis carminis: *τῷ πίνειν δ'.* etc. Omnino enim pro uersuum componendorum commodiore libertate poesis iure etiam in hac uocula collocanda maiorem deposcit libertatem. Cf. Soph. Phil. 614. *εἰ μὴ θέλοι δὲ* sq. Ibid. 947. Oed. R. 1282. Aesch. Choeph. 519. 825. Quanta in hac particula locanda poetarum licentia fuerit, inde colligi licet, quod uel in fine uersus posita inuenitur. Cf. Soph. Phil. 447. Oed. R. 29. 553. 783. 1224. Oed. Col. 17. Antig. 1018. El. 440. 1005. Paul. Silentiar. in Anth. Pal. V. 244. uers. 3. Agath. Schol. Ibid. VI. 72. uers. 3. Praeclare de huius particulae positu disputarunt: Schaef. ad Oed. R. 749. Erf. Obseruat. in Athen. p. 225. Elmsl. ad Eur. Bacch. 165. Poppo de Elocut. Thuc. V. I. p. 302. Herm. Orph. p. 820. Fritzsch. Quaest. Lucian. p. 100. Ellendt. Lex. Soph. I. p. 397. — Ceterum, quae sub hac imagine latet sententia, spectat ad uulgatam illam iamque ab Hesiodo uerbis (Op. 596.)

Τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου

commendatam regulam, ex qua una uini pars tribus paribus aquae partibus temperabatur. Cf. eo de more Athen. X. p. 426. C. Plut. Sympos. III. 9. Macrob. Saturn. VII. 1. cuius uerba, cum eandem imaginem contineant, liceat afferre: — „ut crateri liquoris ad laetitiam nati adhibeatur non modo Nympharum, sed Musarum quoque admixtione temperies." — Vs. 4. Verbum „*θάλαμος*" non modo cubiculum, praecipue coniugum, sed etiam torum genialem et coniugium ipsum significare, uix est, quod moneam: *ἑτοιμότατος θαλάμοις* igitur is est, qui expeditus est atque promptissimus ad coniugium. Recte, etenim *πασχητιασμόν* efficit uinum, et qui Baccho se permiserunt, a Venere non solent abhorrere; iamque Anacreon (VI. 12.) canit: *ὁ δ' Ἔρως ὁ χρυσοχαίτας Μετὰ τοῦ καλοῦ Λυαίου Καὶ τῆς καλῆς Κυθήρης, Τὸν ἐπήρατον γεραιοῖς Κῶμον μέτεισι χαίρων.* — Vs. 5. *εἰ πολὺς πνεύσειεν*) si uehementius spirauerit. *Πολὺς* non modo dicitur de rebus, quarum magna copia atque multitudo adest, sed etiam de iis, quae, quum multarum consociationem partium contineant, magnum momentum habent

et praecipuam grauitatem atque uim exercent. Quare Schol. ad Eurip. Hippolyt. uers. 1. ad uerba: *πολλὴ μὲν ἐν βροτοῖσι* sq. adnotat: *πολλή· δυνατὴ, θαυμαστὴ, μεγίστη. Ὅμηρος* (Il. VIII. 156.) *πολλὸς γάρ τις ἔκειτο παρήορος* etc. Sic dicitur *πολὺς ὄμβρος*, imber uehemens (Hesiod. Op. 679.), *πολὺς ὕπνος*, somnus arctus, grauis (Hom. Od. XV. 394.) *πολλὸς λόγος*, fama diuulgata (Hesiod. I. 30. 75.), *πολλὴ ἀνάγκη*, summa necessitas (Eur. Phoen. 1668). Herod. IX. 90. *πολλὸς ἦν λισσόμενος ὁ ξεῖνος* studiose, uehementer rogauit. Herod. I. 98. *ὁ Δηϊόκης ἦν πολλὸς ὑπὸ παντὸς ἀνδρὸς καὶ προςβαλλόμενος καὶ αἰνεόμενος.* Cf. Wesselg. ad Herod. VII. 158. p. 578, 10. Abresch. Auct. Dil. Thuc. p. 327. sq. Valck. ad Eur. Hippol. 443. Iacobs. ad Achill. Tat. p. 885. Ruhnk. Epist. crit. p. 142. Porson. Aduers. p. 272. — Omnino dictio *πολὺς πνεῖ* similis est Homericis *Ἄρεα, μέγα πνεῖν* et Horatiano (Od. IV. 13, 19.) „amores spirare" — *ἀπέστραπται.* Pl. Br. *ἀπέστρα μέν.* Pal. — Vs. 6. *βαπτίζει.* Pal. et Br. *βαπτίζεται δ'.* Pl. ubi Scaliger *βάπτισται* correxit. *Βαπτίζειν* nonnunquam translata significatione usurpatur, uelut in Heliodor. IV. 17. p. 255. *ἐπειδὴ μέσαι νύκτες ὕπνῳ τὴν πόλιν ἐβάπτιζον.* Ibid. II. p. 90. *ὁ δὲ Κνήμων ὅλον ὄντα πρὸς τῷ πάθει μαθὼν καὶ τῇ συμφορᾷ βεβαπτισμένον.* Liban. T. IV. p. 142, 21. *μήκεσιν ἀπείροις λόγων βέβλημαι, ἀδολεσχίαις βεβάπτισμαι.* Clem. Alex. Paed. II. p. 182, 29. *ὑπὸ μέθης βαπτιζόμενος εἰς ὕπνον.* Plat. Euthydem. p. 277. D. *καὶ ἐγὼ γνοὺς βαπτιζόμενον τὸ μειράκιον* (sc. *ἐρωτήμασι*). Praecipue *βαπτίζεσθαι* ii dicuntur, qui malis obruuntur, ut *νόσῳ, εἰςφοραῖς, ὀφλήμασι β.*, morbo laborare, uectigalibus oneratum, aere alieno obrutum esse. Singulari quidem usu neque tamen raro uerbum *βαπτίζεσθαι* de iis usurpatur, qui se largius uino inuitarunt. Plat. Conuiu. p. 176. B. *καὶ γὰρ αὐτός εἰμι τῶν χθὲς βεβαπτισμένων.* Cf. I. Chr. Wolf. ad Liban. Epist 23. ann. 2. Ep. 310. ann. 3. Doruill. ad Chariton. p. 307. ed. Lips. — *Γείτονι τῷ θανάτου.* Pal. *τῷ* Br. *τοῦ* Pl. De collocatione uerborum cf. Matth. Gr. Gr. § 278. — *γείτονι*). Xen. Cyrop. VIII. 7, 21. *ἐννοήσατε δὲ, ὅτι ἐγγύτερον μὲν τῷ ἀνθρωπίνῳ θανάτῳ οὐδέν ἐστιν ὕπνου.*

7.

Legitur ibid. p. 476. cum lemmate *Εὐήνου*. Hinc transmigrauit in Brunck. Gn. Gr. I. p. 165. n. 10. Anal. I. 1. p. 320. Iacobs. Anth. Pal. IX. 717.

Ἢ τὸ δέρας χάλκειον ὅλον βοῒ τᾷδ᾽ ἐπικεῖται
ἐκτόθεν, ἢ ψύχην ἔνδον ὁ χάλκος ἔχει.

Grotius sic uertit:

Aut superinducta est isti cutis aenea uaccae:
aut aes hoc animam, quae mouet, intus habet.

Celebratur hoc ut sequenti carmine clarissima illa Myronis bucula, quam sex et triginta excellentissimorum poetarum epigrammatis (collectis a Sonntagio in libro, qui inscriptus est: Unterhaltungen f. Freunde der alten Literatur, I. p. 100. sq.*)) laudatam reperies. Scripserunt eo de artificio Boettigerus (Andeutung etc. p. 144. sq.) et Goethius (über Kunst und Alterthum [sämmtl. Werke Bd. 39. p. 280.]). — De Myrone ipso eiusque artificiis uid. seq. carmen. — Eueni uersus ante oculos habuisse uidetur Ausonius, cum scriberet (Epigr. LXI. ed. Toll.)

Vbera quid pulsas frigentia matris ahenae,
O uitule et succum lactis ab aere petis?
Hunc quoque praestarem: si me pro parte parasset
Exteriore Myron, interiore deus.

8.

Extat ibid. cum lemmate *τοῦ αὐτοῦ*. Inde abiit in Brunk. Gn. Gr. I. p. 165. n. 11. An. I. 1. p. 323. Iacobs. Anth. Pal. IX. 718.

Αὐτὸς ἐρεῖ τάχα τοῦτο Μύρων· οὐκ ἔπλασα ταύταν
τὰν δάμαλιν, ταύτας δ᾽ εἰκόν᾽ ἀνεπλασάμην.

Quibus uerbis haec sententia inest: ipsum Myronem mox operis sui ueritate et pulcritudine deceptum hanc suam buculam pro uiuo et spirante archetypo habiturum esse, ad cuius similitudinem aeneum simulacrum finxerit. — Grotius Eueni uersus Latine sic expressit:

---

*) Triginta graeca in eam epigrammata inuenies in Anth. Pal. IX. n. 713–741.

Ipse Myro dicet: puto iam, non hanc ego feci
Vaccam, sed facta est huius imago mihi.

Vs. 2. ἀνεπλασάμην. Pal. et plurimae editiones. ἀπεπλασάμην Br. ex Aldin. 1. — De usu uerbi ἀναπλάττεσθαι conferri iubet Iacobsius Epigr. ἀδηλ. in Plan. n. 265. τίς τὸν ἐν ἐσθλοῖσι πανανπενθέα (ταλαπένθέα?), καὶ τριςάλαστον Μῶμον ἀμωμήτοις χερσὶν ἀνεπλάσατο; Ibid. n. 127. τίς τὸν Θρήϊκα τὸν δὲ μονοκρηπῖδα Λυκοῦργον χάλκεον, Ἠδωνῶν ταγόν, ἀνεπλάσατο; — Myro *), celeberrimus statuarius, sculptor et argenti caelator floruit Ol. LXXXVII. (Plin. H. N. XXXIV. 8, 19. Paus. VI. 2, 1. 8, 3. 13, 1.) Pausanias Myronem Atheniensem dicit, Plinius contra Eleutheris natum. Quae utriusque scriptoris dissensio unde orta sit, explicuit Thierschius (Epoch. Art. Graec. II. adn. p. 64. sq.) Plinius (l. c.) haec de Myrone habet: „Myronem Eleutheris natum, et ipsum Ageladae discipulum, bucula **) maxime nobilitauit, celebratis uersibus laudata, quando alieno plerique ingenio magis quam suo commendantur. Fecit et canem, et discobolon, et Persea, et Pristas, et Satyrum admirantem tibias, et Mineruam: Delphicos Pentathlos, pancratiastas, Herculem ***) etiam, qui est apud Circum Maximum in aede Pompeii Magni. Fecisse et cicadae monumentum ac locustae carminibus suis Erinna significat. Fecit et Apollinem ****), quem a triumuiro Antonio sublatum restituit Ephesiis diuus Augustus, admonitus in quiete. Primus hic multiplicasse ueritatem uidetur, numerosior in arte, quam Polycletus in symmetria diligentior, et ipse tamen corporum tenus curiosus, animi sensum non expressisse, capillum quoque et pubem non emendatius fecisse, quam rudis antiquitas instituisset.“ — Cicero (Brut. 18, 70) sic iudicat: „nondum Myronis opera satis ad ueritatem adducta; iam tamen quae

*) Cic. d. Or. III. 7. 26. Myro, Polycletus, Lysippus — omnes inter se dissimiles fuerunt; sed ita tamen, ut neminem sui uelis esse dissimilem.

**) Cf. Cic. Verr. IV. 60, 135.

***) Cic. Verr. IV. 3, 5. Eius Hercules egregie factus ex aere.

****) Cic. Verr. IV. 43, 93. Agrigenti in Aesculapii fano erat signum Apollinis, cuius in femore literis minutis argenteis nomen Myronis inscriptum.

non dubites pulchra dicere" et Quintil. (XII. 10.) ea „molliora Callonis, Hegesiae et Calamidis" dicit. Praecipue uero Myro, ut auct. ad Herenn. IV. 6, 9. ait, in capitibus effingendis excellebat.

Hoc utrumque (7 et 8.) carmen praeter caussas, quas supra attulimus, propterea etiam Eueno minori tribuimus, quod Myro ipse sub finem demum uitae Eueni inclarescere coepit.

9.

Legitur in Anthologia Planud. p. 323. c. lemmate: *Εὐήνου εἰς τὸ ἐν Κνίδῳ ἄγαλμα.* Inde transiit in Brunck. Gn. Gr. I. 165. n. 7. Anal. I. 1. p. 323. Iacobs. Anth. Pal. II. p. 675. (Planud. IV. n. 165.)

Πάλλας καὶ Κρονίδαο συνεύνετις εἶπον ἰδοῦσαι
τὴν Κνιδίην· ἀδίκως τὸν Φρύγα μεμφόμεθα.

Ex uersione Grotii:

Vt Cnidiam uidere Iouis soror atque Minerua
Dixerunt: querimur non bene de Paride.

Celebratam esse hoc carmine Veneris Cnidiae a Praxitele fictam statuam iam lemmate expressum est. Plinius eo de opere haec habet (H. N. XXXVI. 5. 4.): „Praxitelis aetatem inter statuarios diximus, qui marmoris gloria superauit etiam semet. Opera eius sunt Athenis in Ceramico; sed ante omnia, et non solum Praxitelis, uerum et in toto orbe terrarum, Venus, quam ut uiderent, multi nauigarunt Cnidum. Duas fecerat, simulque uendebat, alteram uelatam specie, quam ob id quidem praetulerunt, quorum conditio erat, Coi, cum alteram etiam eodem pretio detulisset, seuerum id ac pudicum arbitrantes; reiectam Cnidii emerunt, immensa differentia famae. Voluit etiam postea a Cnidiis mercari rex Nicomedes, totum aes ciuitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum se promittens. Omnia perpeti maluere, nec immerito: illo enim signo Praxiteles nobilitauit Cnidum. Aedicula eius tota aperitur, *)

*) Lucian. Amor. 13. *ἔστι δ᾽ ἀμφίθυρος αὐτῆς ὁ νεὼς, καὶ τοῖς θέλουσι τὴν θεὸν ἰδεῖν ἀκριβῶς καὶ κατὰ νώτου. καὶ ἵνα μηδὲν αὐτῆς ἀθαύμαστον ᾖ· δι᾽ εὐμαθείας οὖν ἔστι τῇ ἑτέρᾳ πύλῃ παρελθοῦσι τὴν ὄπισθεν εὐμορφίαν διαθρῆσαι.*

ut conspici possit undique effigies deae, fauente ipsa, ut creditur facto. Nec minor ex quacunque parte admiratio est. Ferunt amore captum quendam, cum delituisset noctu, simulacro cohaesisse, eiusque cupiditatis esse indicem maculam." *) — Vberius Plinio de huius statuae forma scripsit Lucianus (Amor. 13.) his uerbis: *εἴσω τοῦ νεὼ παρήειμεν· ἡ μὲν οὖν θεὸς ἐν μέσῳ καθίδρυται. Παρίας δὲ λίθου δαίδαλμα κάλλιστον ὑπερήφανον καὶ σεσηρότι γέλωτι μικρὸν ὑπομειδιῶσα. πᾶν δὲ τὸ κάλλος αὐτῆς ἀκάλυπτον, οὐδεμιᾶς ἐσθῆτος ἀμπεχούσης γεγύμνωνται, πλὴν ὅσα τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ τὴν αἰδῶ λεληθότως ἐπικρύπτειν. Τοσοῦτό γε μὲν ἡ δημιουργὸς ἴσχυσε τέχνη, ὥστε τὴν ἀντίτυπον οὕτω καὶ καρτερὰν τοῦ λίθου φύσιν ἑκάστοις μέλεσιν ἐπιπρέπειν.* De eius tergo paullo post c. 14. haec habet: *ὅση μὲν τῶν μεταφρένων εὐρυθμία, πῶς δ' ἀμφιλαφεῖς αἱ λαγόνες, ἀγκάλισμα χειρόπληθες· ὡς δ' εὐπερίγραφοι τῶν γλουτῶν αἱ σάρκες ἐπικυρτοῦνται, μήτ' ἄγαν ἐλλιπεῖς αὐτοῖς ὀστέοις προσεσταλμέναι, μήτε εἰς ὑπέρογκον ἐξ ἑκατέρων τόπων, οὐκ ἂν εἴποι τις, ὡς ἡδὺς ὁ γέλως, μηροῦ τε καὶ κνήμης ἐπ' εὐθὺ τεταμένης ἄχρι ποδὸς ἠκριβώμενοι ῥυθμοί.* Caput simulacri ita describit (de Imagin. 6, ubi Pantheam quandam cum Venere comparat) laudans: *τὰ μὲν ἀμφὶ τὴν κόμην καὶ μέτωπον, ὀφρύων τε τὸ εὔγραμμον — — καὶ τῶν ὀφθαλμῶν δὲ τὸ ὑγρὸν ἅμα τῷ φαιδρῷ καὶ κεχαρισμένῳ.* Cf. Athen. XIII. p. 591. A. B. p. 585. F. Iacobs. in Wieland. Mus. Att. T. III. p. 23. 49. — Vt Myronis buculam, ita Praxitelis Venerem Cnidiam plurimi poetae carminibus celebrarunt; cf. Anth. Gr. IV. 12, 160. (Append. Anthol. Pal. T. II. p. 674.) Anal. Brunck. IV. 6. p. 442. XII. 7. p. 462. Auson. Epigr. 57. Patet uero simul cum ex Eueni tum ex hoc Platonis (Anth. Pal. II. p. 675.) epigrammate:

οὔτε σε Πραξιτέλης τεχνάσατο, οὔθ' ὁ σίδαρος·
ἀλλ' οὕτων ἔστης, ὅς ποτε κρινομένη.

Cnidiam Venerem talem fuisse ab artificio effictam, qualem eam iudicauerit Paris, i. e. nudam. Cf. Heyn. in Comment. Societ. Gotting. T. X. p. 106.

---

*) Cf. Lucian. Amor. 15. sq. Valer. Max. VIII. 11, 4. Athen. XIII. p. 605. F. 606. A.

10.

Reperitur ibid. p. 324. cum lemmate *τοῦ αὐτοῦ,* unde abiit in Brunck. Gn. Gr. I. p. 165. n. 9. Anal. I. 1. p. 323. Iacobs. Anth. Pal. T. II. p. 676. (Plan. IV. 166.)

Πρόσθε μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσιν αὐτὸς ὁ βούτας
δέρξατο τὰν κάλλευς πρῶτ᾽ ἀπενεγκαμέναν·
Πραξιτέλης Κνιδίοις δὲ πανὼπήεσσαν ἔθηκεν,
μάρτυρα τῆς τέχνης ψῆφον ἔχων Πάριδος.

Poeta his uersibus eximiam statuae Veneris pulcritudinem ita significat, ut eam ab ipsa dea nihil diuersam dicat; et uti olim Venerem ipsam, ita nunc Praxitelis opus Paridis suffragium aufferre. Grotius eos ita interpretatus est:

Primus in Idaeo conspexit uertice pastor
Illam, quae formae praemia summa tulit.
Praxiteles Cnidiis cerni dedit omnibus illam
Seque operis testem dixit habere Parin.

De tempore, quo Praxiteles, unus ex nobilissimis Graeciae sculptoribus statuariisque uixerit, supra iam uerba fecimus eumque Ol. CIV. floruisse Plinii et Pausaniae auctoritate comprobauimus. Qua in urbe natus fuerit, adhuc incertum est. Plinius de eo bis egit, loco antea citato et lib. XXXIV. 8. 19. ubi in uniuersum de eius operibus agit. Cuius artificio uitam atque opera uberius Silligius tractauit in Catal. artif. p. 379. sq. — Vs. 1. Voce *βούτας* ut in antecedente carmine uoce *Φρύξ* Paridem dictum esse, uix est, quod moneamus. — Vs. 2. *ἀποφέρεσθαι* posse etiam omissis uerbis *τὰ πρῶτα* (*ἆθλα*) significare: „praemia aufferre", nullus est. quin sciat. — Vs. 3. *ἔθηκεν* Vulg. *ἔθηκε.* Brunck.

11.

Extat in cod. Palat. p. 413. cum lemmate *Εὐήνου.* In Planud. p. 486. *ἄδηλον.* Dein transiit in Brunck. Gn. Gr. 1. 165. n. 6. An. I. 1. p. 320. Iacobs. Anth. Pal. XII. 172.

Εἰ μισεῖν πόνος ἐστὶ, φιλεῖν πόνος, ἐκ δύο λυγρῶν
αἱροῦμαι χρηστῆς ἕλκος ἔχειν ὀδύνης.

Hoc epigramma quominus Eueno maiori assignetur, prohibere satis uidentur, quae de eius poetica natura §. 5. disputauimus;

ab animo uero iunioris Eueni, quem *ἐρωτικὰ* scripsisse intelleximus, non modo non abhorret, sed prorsus in hunc, si in quemquam quadrat. —

Vs. 1. *ἐκ δύο λοιπόν.* Plan. *δυολυτρῶ.* Pal. *ἐκ δύ' ὀλέθρων,* Brunck. in textu, in Lectt. *ἐκ δύο λυγρῶν,* quae scriptura, quin genuina sit, non potest dubium esse perpensa literarum *T* et *Γ* similitudine. Sententiae caussa conferendus est Anacreon. (XLVI. 1. sq.) *Χαλεπὸν τὸ μὴ φιλῆσαι· Χαλεπὸν δὲ καὶ φιλῆσαι. Χαλεπώτερον δὲ πάντων Ἀποτυγχάνειν φιλοῦντα,* et Theogn. 1241. (W. 1091. Bk.)

Ἀργαλέως μοι θύμος ἔχει περὶ σῆς φιλότητος·
οὔτε γὰρ ἐχθαίρειν οὔτε φιλεῖν δύναμαι,
γιγνώσκων χαλεπὸν μὲν, ὅταν φίλος ἀνδρὶ γένηται,
ἔχθαίρειν, χαλεπὸν δ' οὐκ ἐθέλοντα φιλεῖν.

12.

Legitur ibid. p. 375. cum lemmate *ἀδέσποτον εἰς χελιδόνα τέττιγα καταπιοῦσαν τὸν μουσικὸν μέμψις.* Iterum legitur p. 413. cum lemmate *Εὐήνου εἰς χελιδόνα τέττιγα κατεσθίουσαν,* unde inter Eueni epigrammata receperunt Brunck. in Gn. Gr. I. 166. n. 13. An. I. 1. p. 325. Iacobs. in Anth. Pal. IX. 122.

Ἀτθὶ κόρα, μελίθρεπτε, λάλος λάλον ἁρπάξασα
τέττιγα πτανοῖς δαῖτα φέρεις τέκεσιν;
τὸν λάλον ἁ λαλόεσσα, τὸν εὔπτερον ἁ πτερόεσσα,
τὸν ξένον ἁ ξείνα, τὸν θερινὸν θερινά;
Κοὐχὶ τάχος ῥίψεις; οὐ γὰρ θέμις οὐδὲ δίκαιον,
ὄλλυσθ' ὑμνοπόλους ὑμνοπόλοις στόμασιν.

Hirundo in hoc carmine, id quod lemmate etiam significatum est, reprehenditur, quod cicadam canoram rapuit, quam auiculis cibi loco praeberet. — Iam omnino apud ueteres hirundo propterea male audiebat, ut docet Plutarch. T. II. p. 727. E. dicens: (*ἡ χελιδὼν*) *σαρκοφάγος ἐστὶ, καὶ μάλιστα τοὺς τέττιγας ἱεροὺς καὶ μουσικοὺς ὄντας ἀποκτίννυσι καὶ σιτεῖται.* Clem. Alex. Strom. V. p. 660. 33. *διώκει δὲ ἄρα καὶ τέττιγας τοὺς μουσικοὺς, ὅθεν ἀπωθεῖσθαι δίκαιος.* Ael. H. A. VIII. 6. *ἦν δὲ ἄρα εὐχείρωτα καὶ αἱρεῖν ῥᾶστα, οἱ ὄνοι μὲν τοῖς λύκοις, ταῖς μέροψι δὲ αἱ μέλιτται, ταῖς γε μὴν χελιδόσι οἱ τέττιγες.* —

Cicadae a ueteribus ob cantus suauitatem magnopere laudabantur maximique aestimabantur (cf. Hom. Il. III. 151. Anacr. XLIII. uers. 11. sq. Plat. Phaedr. p. 259. et Heindf. ad h. l.); quare non mediocre est crimen, cuius in nostro carmine poeta hirundinem incusat, quippe quae Musarum amicam dulcissime canentem surripuerit. — Vs. 1. *Ἀτθὶ κόρα.* Euenus hirundinem puellam Atticam uocat ob notam de Procne et Philomela (Pandionis filiabus*)) fabellam. Cf. Apollod. III. 14. (p. 270). Himer. Orat. III. 3. p. 432. *ἀφίημι δὲ καὶ ταῖς χελιδόσι ταῖς Ἀττικαῖς τὸν μῦθον ἐκεῖνον τὸν Θρᾴκιον.* — *Μελίθρεπτε,* melle nutrita et propterea mellitam uocem fundens. Quin enim hoc epitheton ad uocis suauitatem referendum sit, extra dubitationem est positum; nam frequentissime ueteres scriptores, si eloquentiam suauitatemque oris indicare uolebant, formulas repetiuerunt a melle, quae quidem uox praecipue de suauitate orationes usurpata est. Hinc Phauorin. p. 496. *μελίγηρυς, εὔφωνος, ἡδύφωνος* scribit, et Platonis in ore apes fauum finxisse et Pindarum ab apibus nutritum esse ueteres narrarunt. Cf. Ael. V. H. XII. 45. Hom. Il. I. 29. *τοῦ* (sc. *Νέστορος*) *καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.* Pind. Ol. XI. 4. (ed. Diss. *μελιγάρυες ὕμνοι.* ibid. VII. 12. *καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτὸν, Μοισᾶν δόσιν, ἀθλοφόροις Ἀνδράσιν πέμπων, γλυκὺν καρπὸν φρενὸς, ἱλάσκομαι* sq. et Nem. III. 134. *πέμπω μεμίγμενον μέλι λευκῷ Σὺν γάλακτι, κιρναμένα δ' ἔερσ' ἀμφέπει, Πόμπ' ἀοίδιμον Αἰολῇσιν ἐν πνοαῖσιν αὐλῶν* sq. Theocr. VII. 82. Memorabiles autem praecipue sunt hi Pherecratis (ap. Athen. XV. p. 685. A.) uersus:

Ὦ μαλάχας μὲν ἐξερῶν, ἀναπνέων δ' ὑάκινθον,
καὶ μελιλώτινον λαλῶν καὶ ῥόδα προσσεσηρώς.
ὦ φιλῶν μὲν ἀμάρακον, προςκινῶν δὲ σέλινα,
γελῶν δ' ἱπποσέλινα καὶ κοσμοσάνδαλα βαίνων,
ἔγχει κἀπιβόα τρίτον παιῶν', ὡς νόμος ἐστίν.

Inde etiam uocum *μελίφθογγος, μελίῤῥυτος, μελίγλωσσος, με-*

---

*) Hesiod. Op. 566.

Τὸν δὲ μετ' ὀρθρογόη Πανδιονὶς ὦρτο χελιδὼν
ἐς φάος ἀνθρώποις, ἔαρος νέον ἱσταμένοιο.

λίκομπος, μελιτερπὴς, aliarum usus, de quibus cf. Stanl. ad Aesch. Prom. 172. Bergl. ad Aristoph. Au. 909. Klotz. ad Tyrt. III. p. 76. Wolf. ad Poetriar. fgta. p. 5. et fgta. Sapph. p. 237. — Hirundini igitur uox dulcis tribuitur, id quod tamen non hoc solo loco, sed saepius fit. cf. Anacr. ap. Hephaest. p. 22. ἡδυμελὴς χαρίεσσα χελιδών. Theocr. Id. I. 148. πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα, Θύρσι, γένοιτο Πλῆρές τοι σχαδόνων — τέττιγος ἐπεὶ τύ γα φέρτερον ᾄδεις. Philem. ap. schol. Aristoph. Au. 39. ἡ μὲν χελιδὼν αὐτὸ θέρος, ὦ γύναι, λαλεῖ. — Vs. 2. Post τεττιγ... lacuna est in Palat. loco priore, altero uero legitur τεττιγα πτανοῖς δαῖτα φέρεις τέκεσιν: τέττιγα πτανοῖς. Plan. Brunckius, cui ieiunum uidebatur epitheton, correxit: τέττιγ᾽ ἀπτῆσιν; nam ἀπτῆνες λιγέα κλάζουσι νεοσσοί. Apoll. Rhod. IV. 1299. Κηρύλου ἀπτῆνα σπόρον. Lycophr. 250. ὁπότ᾽ ἀπτήνεσσι φέρῃ βόσιν ὀρταλίχοισι μήτηρ. Sed ferenda et facile explicanda est codicis scriptura. Πτανοῖς τέκεσιν enim significantur auis pulli, auiculae ipsae. Cf. Eurip. Troad. 147. μάτηρ δ᾽ ὥς τις πτανοῖς κλαγγὰν Ὄρνισιν, ὅπως ἐξάρξω ᾽γω μολπὰν sq. quum locum Seidlerus explicuit, ut πτηνοὺς ὄρνιθας aues plumates, uel auium pullos, integras plumas modo nactos, quod nobis uernaculo sermone esset „flügge", diceret. Hanc Seidleri interpretationem confirmant scholia ad Troadas (ed. Kampmann. p. 127.) his uerbis: μάτηρ δ᾽ ὡσεὶ πτανοῖς *)) Καθάπερ δὲ ὄρνισιν ἡ μήτηρ ἐξάρχει τὴν πτῆσιν, οὕτως sq. — Vs. 3. Nouum in Pal. reperitur lemma: μέμφεται τὴν χελιδόνα ὡς κατ ÷ πιοῦσαν τὸν τέττιγα δικαίως. ἀμφότεροι γὰρ ᾠδιξ. (ᾠδικοὶ i. e. canori**)). — Eorundem in hoc carmine uerborum in uerss. 1 et 3 repetitio Wakefieldium mouit, ut (Silu. crit. T. II. p. 145.) uers. 1. καλὸν καλὸν scriptum fuisse putaret. — Vs. 4. τὸν ξένον εὔξείνα, Pal. priore loco, ἁ ξεῖνα, altero. Saepius permutatae sunt syllabae ευ et α, uelut Anth. Pal. IX. 117. uers. 5. ubi Pal. εὐξενίοις, reliqui ἀξενίοις praebent. Cuius permutationis plura exempla Iacobsius ad h. l.

---

*) Ita enim scholiastes legit.

**) Similiter in lemmate carminis 16 syllaba κου (γραμματιξ pro γραμματικοῦ) et Anth. Pal. IX. 254 syllaba κα (γυναιξ pro γυναῖκα) litera ξ expressa est.

collegit. — Hospites uocantur hirundo et cicada, quoniam utraque auis per aestatem tantum ex peregrinis regionibus aduentare putabatur. cf. Anacr. XXXIII. 1. *σὺ μὲν, φίλη χελιδόν, Ἐτησίη μολοῦσα, Θέρει πλέκεις καλιήν, Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος Ἢ Νεῖλον, ἢ 'πὶ Μέμφιν.* — Mox in Planud. *ἀρινὸν ἠαρινὰ,* quod extat in lectt. Aldin. pr.; nam in contextu huius editionis et in edit. Flor. *ἠαρινὰ* et *ἀερινὰ* legitur. Valck. ad Eurip. Hippolyt. correxerat *ἠρινὸν εἰαρινὰ,* quod sane admodum placeret, nisi codex uerissimam seruasset scripturam *θερινὸν θερινά.* Cf. Plat. Phaedr. p. 230. C. *θερινόν τε καὶ λιγυρὸν ὑπηχεῖ τῷ τῶν τεττίγων χορῷ.* — Vs. 5. *Κοὐχί.* Pal. utroque loco, *οὐχὶ.* Plan. Br. Copulam non sine grauitate quadam interrogationis additam esse, recte iam adnotat Iacobsius huiusque usus affert exempla. — *Οὐ γὰρ θέμις οὐδὲ δίκαιον*). Etiam in animalibus sui generis animalia laedere nefas habebatur. Cf. Aesch. fgtm. ap. Plut. T. II. p. 286. C. *ὄρνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἁγνεύοι φαγών.* — Vs. 6. *ὄλλυθ'* et *στόμασι,* Pal. priore loco, *ὄλλυσθαι* et *στόμασιν,* altero. Apud Iacobsium scriptum est errore (typographi) *ὑπνοπόλους;* etenim non extat uox *ὑπνοπόλος.* *Ὑμνοπόλος* explicat Suidas uerbis: *ὁ περὶ τοὺς ὕμνους ἀναστρεφόμενος.* cf. Phalaridem (Ep. 96.) de Stesichoro dicentem: *ὃν ἐξ ἁπάντων αἱ καθαρώταται θεαὶ Μοῦσαι προὐτίμησαν* (codd. A. B. C. Angl. ed. Lennep. habent *προετ.*) *ὑμνοπόλων, δι' οὗ μέλη καὶ χόρους ἐξήνεγκαν.*

Quod ad huius carminis auctorem pertinet, id ad minorem Euenum referre uix dubitabis, quippe quod non magis quam antecedens carmen sophistam sapiat, contra ingenium satis poeticum prodat, quod a maiore Eueno alienum fuisse supra iure nobis affirmasse uidemur.

13.

Reperitur ibid. p. 368. cum lemmate: *εὐήνου ἀσκαλωνί εἰςαμπελον ἣν τραγος κατέφα.* Idem extat ap. schol. Aristoph. Plut. 1132. et Suid. T. I. p. 354. Abiit in Brunck. Gn. Gr. I. 165. n. 7. An. I. 1. p. 322. Iacobs. Anth. Pal. IX. 75.

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ.

Quos uersus Ouidius (Fast. I. 357.) in hunc modum uertit:

Rode caper uitem; tamen hinc cum stabis ad aras
    In tua quod spargi cornua possit, erit.
Verba fides sequitur: noxae tibi deditus hostis
    Spargitur affuso cornua, Bacche, mero.

Non inutile erit monere, Libero patri, uitis repertori, hircos utpote uitibus perniciosos immolatos esse; ut capite tanquam darent poenas. cf. Varr. R. R. I. 2. 19. Virg. Georg. II. 380. sq.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur. . . .

Ouid. Metam. XV. 114.

Vite caper morsa, Bacchi mactandus ad aras
Ducitur ultoris.

Martial. III. ep. 24.

Vite nocens rasa stabat moriturus ad aras
    Hircus, Bacche, tuis, uictima grata sacris.

Ibid. XIII. ep. 39. haedus

Lasciuum pecus et uiridi non utile Baccho
    Det poenas: nocuit iam tener ille deo.

De Eueni uersibus dignus etiam est, qui cognoscatur Suetonii (Domit. c. 14.) locus, ubi imperatorem non alia re ab edicto de excidendis uineis proposito deterritum fuisse, quam quod sparsi essent libelli cum his Eueni uersibus faceta, sed acerba parodia in Domitianum translatis:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
    ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

Cum ex hac re, tum inde, quod pentametrum *ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ* Leonidas Tarentinus (Anthol. Pal. IX. 99. Delect. Epigr. ed. Iacobs. X. 29.) integrum in usum suum conuertit, colligi potest, hoc epigramma celebratissimum eiusque poetam haud ignotum fuisse, quare iis, quae § 7. disputauimus, consideratis non improbabile uidebitur, quod hoc distichon omnium Euenorum clarissimo i. e. Pario minori uindicari proposuimus.

Vs. 1. *ὅμως ἔτι*) *ὅμως δ' ἔτι* uel *ὅμως δέ τι* praebent (Suidae) codd. Pariss. (A. B.), Bruxell., Vossian., Oxonien., et

schol. Aristoph. l. c. — Vs. 2. *ἐπισπεῖσαι*, Pal. et Suet. l. c. *ἐπιλεῖψαι* Suidae, quos modo citaui codices, et schol. Aristoph. probante Hemsterhusio in Plut. l. c., tamen non dubitauit Gaisfordius meliorem meliorisque auctoritatis scripturam *ἐπισπεῖσαι* in Suidam recipere. — *σοί*. Pal. et Suid. *σοι*. Plan. Br.

14.

Extat ibid. p. 367. cum lemmate: *εὐήνου σικελιώτου. εἰς ἴλιον την πολιν ην ἐπόρθησαν ἕλληνες ὅτι διατον ὅμηρον ἀειμνηστο ζ αἰῶν γέγονεν.* Inde receptum in Br. Gn. Gr. I. p. 166. n. 14. An. I. 1. p. 326. Iacobs. Anth. Pal. IX. 62.

Ξεῖνοι, τὴν περίβωτον ἐμὲ πτόλιν, Ἴλιον ἱρήν,
τὴν πάρος εὐπύργοις τείχεσι κληζομένην,
αἰῶνος τέφρη κατεδήδοκεν· ἀλλ' ἐν Ὁμήρῳ
κεῖμαι, χαλκείων ἕρκος ἔχουσα πυλῶν.
οὐκέτι με σκάψει Τρωοφθόρα δούρατ' Ἀχαιῶν,
πάντων δ' Ἑλλήνων κείσομαι ἐν στόματι.

Poeta hoc carmine gloriae aeternitatem, quam Troia licet Graecorum hastis euersa tamen Homeri carmen in omnium Graecorum uersatura consecuta est, expressit. Grotius sic uertit:

Vrbs ego turritis celeberrima moenibus olim
Quae sacra tot diuis Troia uocata fui,
Tempore facta cinis, charta sapientis Homeri
Ferratis portis inclita, cernor adhuc.
Perniciem non Graia mihi nunc hasta minatur,
Nam Graium uolito uiua per ora uirum.

Vs. 1. *περιβόητος* schol. ad Soph. Oed. T. 142, ubi Ares ita dictus est, explicat his uerbis: *περὶ ὃν ἕκαστος βοᾷ, μετὰ βοῆς καὶ οἰμωγῆς ἐπιὼν ὡς ἐπὶ πολέμου πόλιν.* Priorem explicationem esse ueram, recte monuit Wunder ad h. l. cf. Epigr. in inscript. quam exhibuit Brunck. ad Theogn. 751. p. 296. *ἐκ γενεῆς περίβωτον .... Πλούταρχον .... Μεγαρῆες εἰκόνι λαϊνέη στῆσαν ἀγασσάμενοι.* — Vs. 2. *Τὰν κληϊζόμεναν*, Pal. dorice, in reliquis autem uulgares formas non mutans. Tamen nescio ad dorismus non recipiendus sit, quum in talibus, ut ipse Iacobsius ad Pal. VI. 21. uers. 7. fatetur, poe-

tae uarietatis quandam iucunditatem sectati esse uideantur, huius generis formas non certae cuiusdam dialecti, quam poetici sermonis in uniuersum esse existimantes. cf. carmen 12. uers. 2. *πτανοῖς.* — *ἐν πύργοις.* Pal. *εὐπύργοις.* Plan. Br. — Vs. 3. *αἰῶνος τέφρη κατεδήδοκεν)* „aeui cinis i. e. cinis, quo per tot saecula sepulta fui, me penitus comsumsit.“ Insolentius hoc dictum est, sed quum de euersa Troia agatur, poetae statim uox cinis et quidquid magis destructionem indicat, animo obuersatur. Nec absoni sunt Catulli uersus (LXVIII. 89.)

Troiae nefas, commune sepulcrum Europae Asiaeque
Troia uirum et uirtutum omnium acerba cinis.

cf. Prop. I. 4. 5. Ouid. Fast. I. 526. Callim. Hymn. Apoll. 84, „in ara *οὔποτε χθιζὸν περιβόσκεται ἄνθρακα τέφρη.* — Vs. 4. *χαλκείων πυλῶν)* firmissimarum, ut de Tartaro Hom. Il. IX. 15. *ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός.* Tibull. I. 3. 72. aeratas excubat ante fores. — Vs. 5. *Τρωοφθόρος,* Troiam uastans; similiter *θυμοφθόρος* ap. Hom. Il. VI. 169. *θυμοφθόρα γράμματα* literae letiferae; Odyss. II. 329. *θυμοφθόρα φάρμακα* ueneficia mentem rapientia. — Vs. 6. *κείσομαι ἐν στόματι)* Wakef. Silu. crit. T. I. p. 84. *κλείομαι* scribi maluit; temerarie. Vulgata enim scriptura pluribus exemplis confirmatur. Theogn. 867. (W. 239. Bk.)

— θοίνῃς δὲ καὶ εἰλαπίνῃσι παρέσσῃ
ἐν πάσαις, πολλῶν κείμενος ἐν στόμασιν.

Antip. Thessal. iu Anth. Pal. IX. 92, 6. *ἢν δ' ἐθέλωσιν Μοῖραι, πολλάκι μοι κείσεαι ἐν σελίσιν.* Eustath. (de Hysm. et Hysmin.) XI. p. 478. *καὶ ἣν τὸ καθ' Ὑσμίνην καὶ Ὑσμινίαν ἡμᾶς ἀνὰ πᾶσαν γλῶσσαν διήγημα κείμενον.*

15.

Extat ibid. p. 459. cum lemmate *ἀθηναῖ.* Hinc transmigrauit in Br. Gn. Gr. I. p. 165. n. 12. An. I. 1. p. 323. Iacobs. Anth. Pal. IX. 602.

Ἅ ποτε παρθενικαῖσι ἱλασκομένα παλάμῃσιν
Κύπριδα σὺν πεύκαις, καὶ γάμον εὐξαμένα,
κουριδίους ἤδη θαλάμῳ λύσασα χιτῶνας,
ἀνδρὸς ἄφαρ μηρῶν ἐξελόχευσα τύπους.

νυμφίος ἐκ νύμφης δὲ κικλήσκομαι, ἐκ δ' Ἀφροδίτης
  Ἄρεα, καὶ βωμοὺς ἔστεφον Ἡρακλέους.
Θῆβαι Τειρεσίην ἔλεγόν ποτε, νῦν δ' ἐμὲ Χαλκὶς
  τὴν πάρος ἐν μίτραις ἠσπάσατ' ἐν χλαμύδι.

Reiskius hoc carmen in Tiresiae statuam scriptum putauit, sed sermo est de uirgine iam uiro matura, quae, quum in cubiculo iam in eo esset, ut uestem deponeret, subito in marem sese uidit mutatam. Eiusmodi miracula narrant Plin. H. N. VII. 4. 3. Antonin. Liberal. XVII. Gell. IX. 4. De hyaena sexum mutante dicit Aelian. H. An. I. 25. οὐκοῦν τὸν Καινέα καὶ τὸν Τειρεσίαν ἀρχαίους ἀπέδειξε τὸ ζῶον τοῦτο οὐ κόμποις, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις αὐτοῖς. — Vs. 1. ἅ ποτὲ Pal. — Vs. 2. σὺν πεύκαις). Interpretes haec uerba uulgo ad γάμον traxerunt, et γάμον σὺν πεύκαις dictum putauerunt, quum in more ueterum positum fuisset, ut in nuptiarum pompa faces praeferrentur *); sed obstare huic explicationi et uerborum positionem, et particulam καὶ quodammodo aduersari iam Iacobsius ad Delect. Anth. Gr. p. 433. adnotauit. Accedit, quod uerba γάμος σὺν πεύκαις sententiam languidam praebent. Quare uerba σὺν πεύκαις ad Κύπριδα relata locumque sic intellectum uelim: uirgo propensam sibi facere studebat Venerem, eam scilicet, quae est cum facibus (i. e. quae connubiis praeest.) Venus enim aeque amores et connubia tuetur; taedae autem imprimis in solemnibus nuptiarum cernuntur. Quae explicatio iuuatur sequentibus uerbis καὶ γάμον εὐξαμένα, quae, tantum abest, ut idem significent atque uerba ἱλασκομένα παλάμῃσιν κύπριδα σὺν πεύκαις, ut haec explicent. Virgo enim, dum connubium cupit, propitiam sibi facere conatur Venerem, quae connubio ipsi praeest. — Vs. 3. θαλάμων. Pal. θαλάμῳ. Br. Recte, nam sexcenties literae ν et ι commutari solent. — Κουριδίους

*) Cf. e. c. Ouid Metam. IX. 722.
  Coniugii pactaeque exspectat tempora taedae.
Ibid. IV. 60.
  Tempore creuit amor; taedae quoque iure coissent,
  Sed uetuere patres.
Ibid. I. 483.
  Illa, uelut crimen taedas exosa iugales etc.

χιτῶνας) De ui ac significatione uocis *κουρίδιος* uid. Buttm. Lexil. I. p. 31. sq. Fortasse uero hoc loco, ut ap. Hom. (Od. XVIII. 279.) *κούρη* pro *νύμφη* de sponsa dictum est, *κουρίδιος χιτών* uestem significat, qua sponsa induta est, das bräutliche Gewand, quod sane exprimi ita poterat propria uocis *κουρίδιος* significatione integra, quia puella recens nupta cum sponso in thalamum intrans licet adhuc sponsa tamen simul uxor dici et tali ueste uti poterat, quali uxores uestitae ssee solebant. — Vs. 4. *τύπους*) cf. Orph. (ap. Clem. Alex. p. 17.) fgt. XVI. p. 475. *ὡς εἰποῦσα πέπλους ἀνέσυρατο δεῖξέ τε πάντα Σώματος οὔτι πρέποντα τύπον.* Lusus in Priap. LXVII. *ἀνδρὸς τύπους* notam uirilem uocant. — *ἐξελόχευσα*) edidi, uelut Orph. Arg. 43. *ἱερὸν λόγον ἐξελόχευσα.* Ibid. 263. *ἀπὸ στηθέων ὄπα λείριον ἐξελόχευσα.* — Vs. 5. *Ἀφροδίτης* uox in Pal. deest, quam Iacobsius Brunckio praeeunte ex antiquis editionibus suppleuit. — *ἐκ δ' Ἀφροδίτης* i. q. *μετὰ Ἀφροδίτης*, a Venere modo adorata. Virgo se cultu Veneri adhuc adhibito abdicans nunc Martem et Herculem, uirtutis deos, uenerari incipit. — Vs. 7. *Τειρεσίην* Pal. pro *Τειρεσίαν*, ut Hom. Odyss. XI. 32. 139. De Tiresia fabulam narrant Antonin Liberal. l. c. Appollodor. III. 6. 7. *Ἡσίοδος δέ φησιν, ὅτι θεασάμενος περὶ Κυλλήνην ὄφεις συνουσιάζοντας, καὶ τούτους τρώσας, ἐγένετο ἐξ ἀνδρὸς γυνή· πάλιν δὲ τοὺς αὐτοὺς ὄφεις παρατηρήσας συνουσιάζοντας, ἐγένετο ἀνήρ.* Hanc facete ridet Menippus ap. Lucian. Dial. Deor. XXVIII. *χρόνῳ δέ σοι ἡ μήτρα ἠφανίσθη, καὶ τὸ μόριον τὸ γυναικεῖον ἀπεφράγη, καὶ οἱ μασθοὶ ἀπετάκησαν, καὶ τὸ ἀνδρεῖον ἀπεφύη καὶ πώγωνα ἐξήνεγκας; ἢ αὐτίκα ἐκ γυναικὸς ἀνὴρ ἀνεφάνης;* — *χαλκος.* Pal. *χαλκίς.* Brunckius haud dubie recte emendauit. Thebis opponitur Chalcis, Euboeae urbs *), quae, quod olim Tiresiam passum esse Thebae narrauerant, idem esse nunc uirginem quandam Chalcidicam expertam referre poterat. — Vs. 8. *μίτρα* uittam, qua mulieres caput redimiebant, *χλαμύς* epheborum gestamen significat.

*) Chalcidis nomen plures urbes habuere, quarum clarissima fuit Euboeae caput. Alia Chalcis in Aetolia ad flumen Euenum sita erat.

16.

Legitur ibid. p. 397. cum lemmate *εὐήνου γραμματιξ εἰς τοὺς σκώληκας τοὺς τὰ βίβλ§ βιβρωσκούσας ἤγουν σῆτας*, unde abiit in Br. Gn. Gr. I. 167. n. 16. An. I. 1. p. 328. Iacobs. Anth. Pal. IX. 251.

Ἐχθίστη Μούσαις σελιδηφάγε, λωβήτειρα
φωλὰς, ἀεὶ σοφίης κλέμματα φερβομένη,
τίπτε κελαινόχρως ἱεραῖς ψηφοῖσι λοχάζῃ,
σίλφη, τὴν φθονερὴν εἰκόνα πλαττομένη;
φεῦγ᾽ ἀπὸ Μουσάων, ἴθι τηλόσε, μηδ᾽ ὅσον ὄψει
βάσκανον † ἐν ψήφῳ δόξαν ἐπεισαγάγῃ. †

Hoc carmen in blattam membranas peredentem scriptum cum propter argumentum tum propter contortum dicendi genus uehementer displicet, quare omnibus fere interpretibus corruptelis laborare uisum est. Sic uers. 2, in quo etiam displicet, quod *φωλάς*, quae uox maxime de feris reptilibusque usurpari solet, de blatta dictum est, cod. Pal. scripturam *κλέμματα* exhibuit nulli interpretum probatam, quare alius aliam emendationem proposuit. Brunckius correxit *κτήματα*, Iensius *κλήματα*, in quod etiam nuper Orellius in Append. ad Isocr. Orat. *περ. ἀντιδ.* p. 400. incidit idque calamistrato huius carminis dicendi generi conuenire existimans; Iacobsius aut *λέμματα* i. e. chartas, quibus doctrinae thesauri quasi inuoluti teneantur, aut (*σοφίης*) *σκέμματα*, cogitata sapientiae i. e. sapientum, scribi uoluit; ipse olim de correctione *χναύματα* cogitaui: sed uulgata scriptura nequaquam ita comparata est, ut nullam sententiam praebeat, quare mutatione fortasse abstinendum erit. Idem sensit Reiskius ita uertens: „Maxime exosa Musis, blatta, quae chartas peredis et corrumpis obscuro in lustro, semper furtiuis micis pasta.“ — Vs. 3. *κελαινόχρως*) hoc epitheton, quo iure blattae conueniat, difficile est ad dicendum. Schneiderus ad Nicandr. Alexiph. p. 117, ubi in uniuersum docte de silphis agit et huius etiam Eueni carminis mentionem facit, omnino ueteres plura et plane diuersa insectorum genera communi silphae blattaeque nomine appellasse, quae hodie difficulter distingui possint, existimat. —

ἱεραῖς ψηφοῖσι *)). *ψῆφος· λόγος* Hesych. *ψῆφος* non raro consilium, decretum (praecipue deorum) significat, uelut Eurip. Hec. 218. *γύναι, δοκῶ μέν σ' εἰδέναι γνώμην στρατοῦ ψῆφόν τε τὴν κρανθεῖσαν.* Troad. 779. *ὅθι σοι Πνεῦμα μεθεῖναι ψῆφος ἐκράνθη.* Androm. 1271. *Πᾶσιν γὰρ ἀνθρώποισιν ἥδε πρὸς θεῶν Ψῆφος κέκρανται, κατθανεῖν ὀφείλεται.* Ita hoc loco *ψῆφος* non de charta, uel de libro, nam hoc inauditum esset, sed de argumento accipiendum est; quaeritur enim, cur blatta sanctis deorum decretis insidietur. — Vs. 4. *τὴν φθονερὴν εἰκόνα*) Reiskius de foraminibus, picturis et uestigiis carminum in libris intelligi uult. — Vs. 6. *ἐν ψήφωι δόξαν ἐπεισαγάγῃι.* Pal. Interpretes in codicis scriptura se acquiescere non posse intelligentes uaria tentarunt; Brunckius ex Guieti emendatione: *εὐψήκτῳ δῆξιν ἐπεισαγάγῃς* actiua significatione pro *εὖ ψήχοντι, εὖ ψήχειν δυναμένῳ* scripsit, quod minime perspicuum est. Iacobsius uero ingeniosissimam emendationem „*βάσκανε, τὸν σίφων' ὀξὺν ἐπεισαγάγῃς*, ne acutum admoueas rostrum. Culices enim *αἵματος σίφωνας* appellat Meleag. (Anth. Pal. V. 151.) Sic autem tineae rostrum appellari potuit, quod eo chartae pertunduntur, ut in Eurip. Cycl. 438. (ubi uit. Interpp.) membrum uirile. Neque uiro multum differt *σιφωνοξυν* a scriptura membr. *ψηφωιδοξαν.*" Quam correctionem, licet ea nonnullis magis ingeniose inuenta, quam uera uideatur, equidem tamen admodum probabilem puto.

*) Reiskii sententiam, ideo fortasse membranas aut chartas *ψήφους* dictas fuisse, quod sint *ψαφαραί*, rasiles, radantur, priusquam iis inscribatur, et inscripta quoque ex illis eradi possint, satis est uerbo tetigisse.

CORRIGENDA.

P. 7. l. 5. lege posse pro potuisse.

P. 15. l. 7. a fin. lege Ἀσκαλωνῖ pro Ἀσκαλωνί.

P. 16. l. 9. a fin. lege Philistum pro Philistrum.

P. 20. l. 11. a fin. lege Plat. pro Pat.

P. 22. l. 14. a fin. lege leges pro legis.

P. 28. l. 1. lege assignanda pro assignandi.

P. 46. l. 2. a fin. lege κάπιβόα pro κάπιβοᾷ.